

rum plurium contrariam probabilem sequamur; quia habet quis propriam opinionem ex rationibus, & principiis à re ipsa sumptis, ex quibus judicat aliquid sibi non licere facere; ut vero ex principiis communibus, extrinsecus ductis, vide licet ex aliorum probabili consilio, vel sententia (quam sequi cuique licet) existimat illud se posse tuta conscientia facere, & hoc esse sibi faciendum. Idem dixit *Azor d.*
p. 1. Inst. moral. lib. 2. c. 16. q. 2.
lit. a & d. exemplumque ponit unum, & alterum. Et confirmatur; quia qui prudenter agit, bene agit; atqui ille, qui sequitur probabilem opinionem Doctorum, prudenter rem gerit: ergo certe hoc facere poterit; & facit pro hac parte sententia *Thom. Sanch. tom. 1. oper. moral. lib. 1. c. 9. à n. 13.* ubi n. 14. post plurimos DD. hanc partem sustinentes, defendit, & tenet licere in foro conscientiae operari juxta aliorum probabilem opinionem contra propriam etiam tutorem; cum etenim totalis, & omnimoda certitudo de omnibus rebus haberi nequeat, ad eam Deus minime nos obligavit, sed ad operandum cum morali certitudine: atqui ista moralis certitudo reperitur in opinione probabili: ergo Et n. 15. post dictos Vafques, & Af. citatos extendit etiam propria opinione tamquam probabiliori retenta. Et n. 19. post Vafq. Salas, Sayr, & alios affirmit licite quaque viros doctos, atque etiam Confessarios posse contra propriam opinionem aliis consulere, sequendo alienam, quam probabilem esse putant; quia si ipsi met licet hanc opinionem sequi, cur non licebit aliis ita consulere? Ita etiam docet *Busembau*, quem legi, & citat alios.

31 Contra tamen aliqui, quos tacio nomine refert *Af. p. 1. Inst. moral. lib. 2. c. v. q. 7. in fin.* ait neces-

se esse nos tali casu propriam opinionem deferere, & ad hoc conductit doctrina *Vincentii Filiucii t. 2. quæst. moral. tract. 21. c. 4. n. 149.* ubi tenet eum, qui confultur, absolute loquendo teneri ad respondendum secundum propriam opinionem ob existimationem ejus doctrinæ, & boni nominis: *Diana* vero *resolut. moral. p. 2. tract. 13. resolut. 14.* stat absolute contra praedicta Filiucii.

Ego nolle falcam immittere in segetem alienam: ideo dicta profero, & non resolvo. Scio tamen mihi nimis placere Filiucii predicti opinionem, a qua ego numquam recedam in consulendo. Et ratio mihi est, quia quando Titius v. g. à me querit hoc, vel illud Juris, certum est meam requirere sententiam, & meum proprium sensum in tali materia: Et hoc est evidens, experientiaque probatum: ergo si contrariam sententiam ego proprio Marte non amplector, immo aliquando (quod magis est) minus probabilem intelligam, cur à mea recedam, & adhæream alienæ? Numquid me interrogant de sententia aliorum, vel de mea? Si primum foret, multoties ad me non venirent, cum jam in scriptis aliorum placita haberent: ergo petunt meam propriam resolutionem, & tali casu intelligentiam: ergo hanc (si volo) prodere debeo; & ex eo quod dem, debeo loqui secundum meam mentem, quidquid alii dicant.

Et si ita non practicetur in nostra Jurisprudentia, hocque nostri observent Advocati, qualia insurgent inconvenientia, & pericula non levia? Nec mireris. Quærerit Titius ab uno Advocato, quid sentiat in proposita quæstione, antequam litem intentet, vult enim prius de suo iure certificari, vel ut agat, vel ut se defendat. Iste primus Advocatus forsitan sua ductus ambitione, &

ut

ut parti satissimat (que licet aliquando velit , numquam omnino tacet suum desiderium , ita ut Advocatus in proponente illico percipiat) respondet secundum illius placitum , & Deus scit , si quandoque contra communem opinionem , & aliquando contra leges terminantes . Ecce venit ad secundum , amicumque primi , qui , velo levato , se subscribit facundiæ primi Herois ; quo quidem putat se magnam rem facere , longissimumque præstare obsequium . Accedit ad tertium , qui cum forsitan reginam pecuniam non videt , duobus verbis respondet , immo unico *convenio* ; non vult etenim perdere tempus . Quartus en ego adsto : cur ego ergo subscribam talibus placitis ? Cur non examinem materiam , & quæstionem ? Faciam , æternumque faciam , dum vita manebit , dum spiritus hos reget artus .

16 Si tamen illi primi Advocati cident DD. adhuc sto pro meis scriptis ; quia etiam in his terminis deboe mature ponderare probabilitates opinionum ; & si meam illis contrariam non depono , sed fortiora mea video fundamenta , gravesque pro me AA. cur ego judicium ita non proferam ? Cur subscribam , si aliter sentio ? Suppone me ita facere : ecce pars vadit cum omnibus votis , litemque putat suam ; cum postea Judices contra eum sententiam ferant pro illis fundamentis , & DD. quos ego , cum possem , in medium non protuli . Sic plerumque cessant beatæ transactioes , dantur graves expensæ ; de quibus quis non dolebit ?

17 Et faciunt ad intentum supra à nobis dicta ; quia Advocatus teneatur aperire clienti probabilitates opinionum . Scio posse defendere , dummodo probabilem pro se habeat ; ast negotium certificare hoc casu indecens esset , & damnosum;

forsitan etenim Petrus non vellet litigare contra communem : ergo non deboe subscribere (loquor in terminis litium , & nostrorum Advocatorum) contrariis votis : sed deboe manifestare meum sensum , ut pars sciat omne in materia , & non veneretur dubium ut certum , & infallibile . Quis tamen certum hoc , aut incertum illud appelle ? Ah varietas ! Ah diversitas ingeniorum ! Ah argutiæ ! Ah subtilitates ! Ego semper , præfertim in rebus gravibus à communi recedere non vellem ex doctrina *Filliuc. tom. 2. q. moral. tract. 21. c. 4. n. 148.* Scias etiam Judicem non posse , propria retenta , se subscribere alienæ opinioni : *Bañes 2. 2. q. 65. art. 4. dub. 41. Sot. lib. 3. de just. & jur. 46. art. 5. Valencia 22. disp. 5. q. 7. punct. 4. dub. 3. Ledesm. 2. p. 4. q. 54. art. 6.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXVIII.

- 1** *Advocatus debet in propriis causis sibi requirere Patronum more Medici , qui se ipsum non curat . Maiora jurgia proveniunt ex dispositionibus Advocatorum , & testamentis ipsorum Consilium alterius semper est amandum .*
- 2** *Lare probatur utilitas consilii , & honestas , qua quis non proprio solum judicio regitur .*
- 3** *Prosequitur intentum . Stultus potest multoties dare bonum consilium .*
- 4** *Magis vident quatuor oculi , quam duo , ut communiter dicuntur .*
- 5** *Reprobantur superbi recusantes petere consilium .*
- 6** *Ex tempore respondere signum quandoque stultitiae est .*

C A P U T XXXVIII.

Utrum in propriis suis causis debeat audiri pro se noster Advocatus, vel potius aliis in illis Patronus eligendus? Agitur de utilitate consilii, quod ab aliis generaliter requirere debet bonus Advocatus.

Advocatus in propriis causis debet querere Patronum sibi, neque in illis advocare debet ad instar Medici, qui se ipsum non curat. Fit enim nescio quomodo, ut Advocati in negotiis propriis ruidores, imperitioresque videantur, magisque deficere consilio contra Euripedis sententiam, qui sic ait *odi sapientem, qui sibi nihil sapit.* Ob hanc causam doctissimus Bovadill. in *polit. tom. 2. lib. 3. c. 14.* n. 93. nos monet, ut lites nostras patrocinio aliorum Advocatorum commendemus, & utitur memorato exemplo Medici, qui aliis Medicis suas curandas infirmitates committunt. Ita consulit *Villa Dieg. in sua Politic. c. 5. de la instruct. n. 57.* Testay alleg 7. in *princ. Velasc. conf. 5. à n. 91.* Molin. de primogen. Hispano in prefat. ex n. 5. Et etiam aliud in nostris jurisperitis notatur valde admirabile, quod nempe maiora jurgia, maioresque litium ambages ex testamentis nostris, atque aliis hujus generis juris dispositionibus excitentur, & magis, quam ex illiteratorum voluntatibus; fortassis quia dum nos ex variis Jurisconsultorum responsis volumus hoc vitare, id potissimum efficit, ut maiores lites involvamus. Sic in nostris placitis post obitum successores vident incentiva litium prolixarum. Hoc quotidie a spicimus, ac ego nuper expertus sum in duabus testamentis à duobus Judicibus constructos, quorum unus præcipue Advocatis nostris veluti lites

legavit, & Judicibus desperationes. Bene Quint. Curt. lib. 7. ait: *Natura quasi prava dici potest, quod in negotio quisque suo habetior sit, quam in alieno.* Nimirum in rebus propriis animum occupat, & obtundit morbus, aliquando timoris, interdum cupiditatis, aliquoties amoris; ita ut fere nihil verum ab omni parte, sive idoneum ex cogitare possimus. Verum dico, hoc est, vere à litibus, dubiusque liberum. Sed hoc etiam (proh dolor!) quis alienus etiam poterit? In predictis ergo semper amicorum queramus consilium; proprio enim non regi judicio in Sapientissimis hominibus magna prudentia est. Hinc dixit Horatius in *Art. Poet.*

Cur nescire pudens prave, quam discere malo?

Ipsa sapientia de se ait *Proverb. c. 8. v. 12.* *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Nec qualescumque adhibet Consiliarios, sed qui instruere valeant, peritos nempe, ut advertit D. Bernardus epist. 42. ad *Henricum Senonensem:* Hinc ipsorum castorum consiliorum Mater sapientia de se ipsa loquens. *Ego sapientia,* inquit, *habito in consilio:* sed quali consilio? numquid in qualcumque? *Et eruditis in tersum cogitationibus:* Sed cur hæc sapientia (dicam ego) cum aberrare nequeat, vel adjurari; adhibet nihilominus suos consultores? Nempe ut nos, quid facere debeamus, concipere possimus.

Ego semper vacillo de proprio metuens cerebro; itaque ne dicam in meis negotiis; propria enim non habeo, neque ulla bona, ob aliena tamen sæpe ad Advocatos sapientes accedo, quibuscum confero lites mearum partium, si ita postulent. Immo quod magis est, audio aliquos Patronos indoctos, qui mihi tumidi semper respondent, magis traliterque

traliterque in aspectu, & quod magis est promptissime, & sine metu resolvunt fortunati, & aliquando bene, licet per accidens; quod tamen mihi essentialiter prodest. Itaque bonum est semper audire consilium, præcipue sapientis alicujus, ut *Tobiæ* 4. legitur: *Consilium semper à sapiente perquiere.* *Cyrill.* in *Isaiam* cap. 3. ibi. *Qui inconsiderate, & levi judicio ad res agendas accedunt, ab utili deviant, & velut in tenebris versantur, ac in saxa impingunt.* Atqui exquisita cognitione prædicti sunt, acuto oculo rerum eventus intuentur, & propterea non sine admiratione omnia apposite, ac disposite administrant. Quod vero indocti audiantur, ne mireris; *sæpe etiam stultus fuit opportuna locutus.*

Incredibile etenim mihi est quemquam *Advocatum* melius videre duobus oculis, meliusque agere, quam multos multis: quamobrem dum in nostris, vel alienis negotiis consilium amicorum querimus, plures oculos nobis facimus; multi enim rectius judicium, quam singuli ferunt. Unusquisque sufficientiam non habens, per communionem mutuam supplet multos defectus. Hac utique ratione homines singuli seorsum debiles ad consilium congregantur, divisam ita mentem invicem copulantes, & quasi ex scintillis lumen unum accendere contendentes. Consulta ergo ante opus, ne quid stulti committas; stolidi enim folius est viri, & facere, & dicere inconsideratè; hocque nostros *Advocatos* minime decet; & ut *Plautus* ait, *nemo solum satis sapit;* & *Homer. lib. 10. Iliad.*

maior adest, & plena duabus Pectoris, atque animi præstantia, copia rerum Uberior, vis consilii præsentior, omnis:

Dum nunc hic, nunc ille aliquid, quod & utile credat,
Invenit, alter & alterius sæpe indiget usu.

Atqui solus erit, si forte quid utile rebus

Cogitet, inveniatque, animo per- sæpe labanti

Deficit, & timidum fugit omnis consilii vis.

Et *Plato* in *Theagene* consilium rem 5 sacram esse dixit. Et consilio recto nihil tutius. Et ut dicitur Proverb. c. 11. *Salus erit ubi multa consilia* solorum arrogantium, & insipientium vitium est errare malle, quam consultare, aut interrogare. Non est quicquam in hominum natura maius ratione, & consilio. Sapere sic plus poteris, quam brachium robustum. Nec te tua philautia ductum satis opulentum aestimes, neque alios veluti discipulos reputes, indignumque putas autoritate tua, ut à junioribus consilium, atque regulam capias. De talibus dicitur in *Psalmo 106.* *Erraverunt in solitudine: in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Si solus habitas, fit quidem, ut in arrogantiae solitudine oberres, nec Ducem veritatem reperias, Advocate, qui genio, & ingenio insolenter fidis.

Immo magna est multorum audacia, qui illico, & sine prævio examine interroganti tibi respondent; cum plerumque quæstio sit de juris apicibus. Miror ego de hoc, & certe valde rusticum me puto, qui numquam ita potui facere, sed velle videre prius libros meos, mesque audire consiliarios, quos omnis Patronus debet habere, si vult securè ambulare in viis suis omne enim quod defendit, suum est.

- 1 *Filios Advocatorum inertes vocant aliqui, & assignatur ipsorum ratio.*
- 2 *Probatur, & notatur in hoc culpa parentum, & bona remedia assignantur, ut hoc evitetur inconveniens.*
- 3 *Divitiis est ingenium anteponendum; & hanc hereditatem principaliter quis potest relinquere filii suis per bonam educationem.*
- 4 *Turpe est degenerare, atque veluti parentibus opprobrium.*
- 5 *Quod DD. dicunt de illa inertia, nec semper est certum: Celsum, & Nervam genisse filios Sapientissimos certum est: Natura solita est effectum similem producere. Educatio bona ad hoc nimis potens est.*
- 6 *Adolescentium educatio est fundementum Reipublie: Parentes debent dare filii suis bonum exemplum.*

Ad n. 7. & 8. Tu vide, & nota: Et adde hic sententiam Proverb. c. 13. 24 Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit: Et cap. 27. 5. Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus:

C A P U T XXXIX.

Agitur de eo, quod dicunt DD. Advocatorum nempe filios esse ex maiori parte fatuos, & inertes. Utrum verum sit? Ubi obiter de educatione filiorum.

Filios Advocatorum fatuos, & inertes notat *Bellug. in specul. princ. rub. 11. in prio n. 11. ubi Camill. Borell. in addit. lit. B.* qui ponit exemplum in filio Ciceronis, & aliis. Ratio istis Doctoribus est; quia viri docti ob nimias vigilias, nocturnosque labores, quos susce-

perunt, malum nutriunt sanguinem. Videndum ergo est hoc capite, utrum hoc certum sit, ne in materia aliquid intactum relinquamus.

Ego, ut verum fateor, multo expertus sum ignoriam, & insufficientiam aliquorum scholasticorum, qui Patribus judicibus, Advocatisque fruebantur; ac in Universitate Collimbriæ studio operam dabant, quin linguam latinam intelligerent. Miratus fui magis de parentibus, quam de filiis; ego enim, si filios haberem, antequam ad juris operas destinarem, prius late examinarem, ingeniumque probarem, ne scilicet sine clementis & dificilium postea corrueret, oleumque meum perderem. Hæc forsan mens fuerat Parladori, in cuius opere legitur illa epistola ad charissimos filios suos Salmanticæ studentes. Cum ergo sine prævio examine istorum filii aliquando ad Collimbriam accedant, mirum esse non debet, quod plerumque indocti evadant, littusque arent. Accedit; quia Doctorum nostrorum filii attendunt ad facultates paternas, & sic sudare nolunt, sed tradunt, se nimia quieti, miseræque ignaviæ: culpa parentum est ego etenim illos noviter ex Conimbric a adventos iterum examinarem ad videntum, quid proficerent. Qui legis hæc, judex, vel Advocate, hoc meum cape consilium; scientia enim est magna hereditas, & præcipua legitima, quam filiis tuis trahere debes: ast opes sufficiunt moderatae.

Et facit ad hoc magnum incitamentum: Quia vos Advocati, Jugesque, totis viribus infudatis, ut filiis divitias acquiratis; atqui istis sunt anteponendæ bonæ artes, ut evidens est: ergo grandis miseria est, quod de hoc non curetis: unde nihil mirum, si, deficiente scientia, divitiae vestre male dicabuntur;

buntur; quod omne vobis indignum putarem: etenim.

Fortes creantur fortibus, & bonis,

Est in juvencis, est in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroce

Progenerant Aquilæ columbam.

Curandum ergo est summa prvidentia, ne filii degenerent in vestrum opprobrium:

Pelide Genitori, illi mea tristia facta,

Degeneremque Neophtholeum narrare memento.

Sed hoc, quod ab illis DD. supradictum est, ideo perpetuum non intelligas, Celsum enim, & Nervam Jurisconsultos fertur genuisse filios sapientissimos, ut probatur in l. i. & ibi glos. in verbo ait. ff. de acquir. posses. Et ut docet. Aristoteles, natura solita est effectum sibi in qualitate similem producere. Unde omni conatu nos Advocati in nostrorum filiorum educatione debemus curare, quod in principio capit is hujus tradita certa non sint; nulla enim ratione fieri potest, ut qui ab ipsis initiis magna cum diligentia, summoque studio fuerit educatus, malus evadat; neque enim naturalia sunt peccata, ut tantum curæ quæcumque mala, diligentiae que valeant superare. Hoc etiam dico respectu ingenii.

Adolescentium ergo educatio fundamentū est totius Reipublicæ, & etiā hæc cura tangit Legislatores, si Politicis credendum est. Quid sanctius esse potest nostro Advocate, aut circa quæ magis studere debet vir sanx mentis, quam ex optima laudabilissimaque muliere filios procreare, senectutis quasi optimos pastores, ac reverentes patris, matrisque Custodes, ac totius domus servatores? Educati siquidem recte à parentibus per sanctos, & justos mores boni merito evadent; contra vero si fiat,

sentient detrimentum; nisi enim parentes exemplum vitæ filiis suis præstent, timendum valde est. Otiosa etenim juventus impudenter educata omni ferocissima bestia immanior est. Et ut D. Hieronym. epist. 9. ait: *Non est parvi apud Deum meriti bene filios educare.*

Filiorum ergo vestrorum, Advocati, ingenia tamquam agri, ex quibus Respublica suos grandes fructus est perceptura, diligentissime colantur, & rebus optimis, doctrinaque ferantur pulcherrima. Prohibeantur inferi quæcumque Reipublicæ. Noxia sunt, aut esse possunt, & insita si quandoque, confessim in radice evellantur Nam semina virtutis admodum rara sunt, & sterile solum, vel incultum nacta, proventu malarum herbarum facilime marcescunt. Quales nascantur liberi, nulli in manu est; at ut recta institutione evadant boni, nostræ pietatis est. Quemadmodumque canes ad venatum habiles reddit educatione, ita viros bello, Minervæ, studiisque utiles reddit bona, & recta institutio. Nulla autem tam prava, tamque perversa hominis natura est, quæ institutione non possit ad humanas virtutes formari. Ingenium quamvis debile, curiositate, laboreque invenitur; & augmentum suscipit. Labor omnia vincit improbus.

His freti consiliis nostri Advocati pueros habebunt illustres; & uno avulso Advocate filius succedit, non tam divitiis, quam libris, & arti. Sic docti à doctis procedent, probi à bonæ famæ viris; nec filiis vestris, Advocati, imputabitur inertia: Oh! si meus viverit Augustinus!

Augustinus erat, manibus date lia, plenis:

O amor, o capiti digna corona meo!

Discessit, cælo vivat gratissimus, unde

*Præceptis melior non eget. ille
meis.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXX.

- 1 Filii Nobilitas ascendit ad Patrem.
- 2 Specialiter nobilitas Advocati, & ratio datur.
- 3 Assignatur aliud principium ascendendi hoc casu.
- 4 Ex nobilitate filii competit Patri homagium: aliqui dicunt Patri solum ex dignitate filii resultare aliquod decus.
- 5 Prosequitur intentum: Pater, & filius eadem persona reputantur.
- 6 Pharaonimis coluit parentem Josephi.
- 7 Nobilitas secundum consuetudinem Civitatis observanda est: Nobilissimi quique hoc Regno amant, & honorant Advocatorum parentes. Vide hic bonam distinctionem.
- 8 Privilegia Advocati competunt filiis: Ipsi nobiles reputantur: Nobilitas descendit.
- 9 Filius non potest advocare contra Patrem: Filius tamen potest litigare justè contra Parentes: Modus, quo procedere debet, declaratur.
- 10 Si lis sit inter Patrem, & Patriam; nulli des patrocinium regulariter: Sed vide authores hic pro una, & altera parte.
- 11 Laudatur Regnum Lusitanum, & amplissima Civitas Ulissippo: Pater semper potest excusari: Amor erga parentes, alios superat.
- 12 Boni Cives amantes Patriæ: Plurimi laudantur Heroes.

C A P U T X X X X .

An Advocatorum prærogative ascendunt ad ipsorum Patres? an descendant ad filios? Utrum Advocatus possit advocare contra Patrem, aut Matrem? An si contra Patriam? Quid si Pater, & Patria simul concurrant eadem causa, ex adversis motivis?

Certa est conclusio filii nobilitatem ascendere ad Patrem: *Alberic.* in l. Imperat post medium ff. Decurion. l. 1. ff. Senatorib. *Bald.* in l. filium cod. de suis, & legitim. *Acacio* de privilegi parenti p. 3. c. 1. n. 36., *Scobari* de purit. sanguin. p. 1. q. 1. §. 3. n. 27., & p. 2. q. 4. artic. 2. n. 84. *Arouc.* in annot. ad tex. in l. consular. 1. §. consulares autem 1. n. 10. ff. de Senator. *Tiraquel.* de Nobilitat. cap. 16. n. 3., & seqq. *Luc de Penna* in l. mulieres n. 3. cod. de dignit. lib. 12. *Phæb.* p. 2. d. 154., ubi ita tradit judicatum.

Cum ergo nostrorum Advocatorum nobilitas sit in confessu apud omnes, certum est etiam ad parentes ascendere prærogativas; & majoribus fanè cum rationibus; quia cum ascendere gravitatem gravius sit, descendere autem levius, majoribus viribus ad ascendendum opus est: ergo si alia nobilitas generaliter loquendo habet ad hoc alias suas, majoribus dabit nostrum munus: aliter. Nobilitas, quæ minor est nostrâ potest ascendere ad patrem: ergo a fortiori nobilitas Advocati: Nec mireris! Nulla enim nobilitas Advocatum justum, & Sapientem excedit.

Nec petit infirmis nimium sublimia pennis

Doctor, at ingenti nomine ad astra volat!

3 Alia ratio esse potest; quia regulariter Advocati suum gradum sunt consecuti pecunia parentum, qui largos

largos patiuntur sumptus ad hanc dignitatem assequendam: filius laboret ingenios, Parens tristis suo marstudio: ergo digni sunt, qui saltem hoc præmium a Doctoribus, jureque accipient. Unde a vilioris pœnæ irrogatione eximitur pater propter filii nobilitatem: *l. moris est 9. §. parentes quoque ff. de pœn. Bruno de indic. & tortur. 2. p. q. 4. n. 21. Farnac. in prax. crimin. lib. 1. tit. 5. q. 41. n. 60.*, & excusatur a pœna vili in terminis *Ord. lib. 5. tit. 139.* propter supradicta; neque poterunt torqueri: *Carrer. in pract. in 2. tractat. de indic. & tortur. §. circa tertium num. 15. in fin. Conrad. in pract. in tit. de negativ. crimin. & torment. n. 34. in fin.* Et in hac materia filius sapiens debet latificare patrem, ut bene Proverb. cap. 10. t. *Filius sapiens latifac patrem.* Et sane parentibus multa debentur, ut peritè dixit *Sabel. lib. 3. cap. 4. ibi. Multa volumus patriæ deberi, multa parentibus.* Unde omni conatu (nec ratio deficit) debent Advocati pugnare pro nobilitate parentum; agitur enim de remagni valoris, & pretii.

4 Ex nobilitate etiam filii competit patri nobile homagii privilegium, ad hoc ut vinculis publicis non mancipetur, ut judicatum tradit *Gam. d. 112. per text. in auth. constitut., quæ de dignitate §. generaliter cum Glos. in verbo ostendat, & per textum in l. moris est §. parentes ff. de pœn.* Et quod magis est, in terminis istius decisionis pater vivebat arte mechanica. Aliqui Doctores voluerent hæc ita explicare, dicentes, quod pater non gaudet filii dignitate, sed solum habet aliquem majorem honorem propter illam, quam alias non habet, neque dari textum expressum, qui parentibus in hoc punto faveat.

*Tu cave defendas, quamvis
mordebere dictis.*

Sit ita, vel non, dico iterum filii nobilitatem ascendere ad Patrem, & præcipue, si iste non exercet artem mechanicam, est res indubitabilis; & licet illam antea exiceret, si tamen postea abstinuit, clarum etiam est; neque de hoc dubitabit, nisi ille, qui antiqua stupendus origine, in solo genere ponat nobilitatem; sicque Viros doctos frui nobilitatis privilegiis non velit ex invidia. Finge Petrum esse Advocatum: Numquid pater ejus committens delictum suspendetur? Hoc esset castigare filium Advocatum, qui perditus, ac diffamatus maneret. Decapitari ergo deberet, sicut filius, si crimen, quod Deus avertat, committeret. Et hoc est invitare ipfos parentes, ut dent Reipublicæ filios clarissimos, quos prius Universitatibus alunt; & sumptibus non parcendo: accedit quod pater, & filius de jure eadem persona reputantur; ut vulgare, tritumque satis est: Et hoc mihi videtur provenire veluti ex jure naturæ, ut multis exemplis probari possit; & ex illo mutuo amore, quo vicissim diliguntur in altiori gradu; quod omne quidem bene conductit ad intentum, & ad probandam nostram certam conclusionem. Quid? Sanctissimæ leges filium ne dici quidem alterum a patre statuere: Et ut dixit sapientium quidam, *filius est renascens pater.*

Sic Pharao Josephi coluit parentem ob filii nobilitatem, & mores: Genef. cap. 47. 5. *Dixit itaque Rex ad Joseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te: Terra Ægypti in conspectu tuo est.* Quasi Josephi pater, & fratres ob filium, & germanum summis honoribus digni essent: Deinde: Pater introductus fuit specialiter ad Regem, quocum locutus est, & ab isto interrogatus fuit; ut constat ex textu. Et facit ad intentum Proverb. cap. 13. 1. *Filius sapiens doctrina patris.*

Ulterius: nobilitas secundum con-
fue- 7

suetudinem Civitatis observanda est: probat *Otalor. in summa nobilitate. secund. part. cap. 5. n. 16.*, & ibilatè: Patres autem nobilium, & nostrorum Advocatorum, nobilissimi quique æqualiter cum filiis honorant; neque erit tam barbara gens, quæ ita non faciat: ergo saltem ex consuetudine gaudent patres nobilitate filiorum. Hoc tamen, volo, intelligas respe-
ctu alicujus pœnæ vili præcisè, ne filius laedatur; nullatenus in materia civili; & sic bene distinguerem; ut v. g. in declinatoriis, tributis, aut similibus.

- 8 Quod vero nostra privilegia filiis nostris competant indubitable prorsus est: *Guid. Pap. d. 389. cum plurimis tradit Gratian. for. tom. 1. cap. 186. n. 4.* Et quod Doctorum, atque Advocatorum filii sint nobiles obser-
vat *Monac. de recta feudi interpret. cap. 48. n. 50. Aloys. Ricc. dec. Cur. Archiep. Neapolit. 93. n. 5. p. 2. Xamar. de officio Advocut. p. 2. q. 2. nu. 17.* Certum est enim nobilitatem de-
scendere: *ex tex. in d. l. 1. ff. de Se-
nator., & ibi Glos., & Bartolus: si.
miles Glos. in l. sacris, ubi Joannes
de Platea c. de proximis sacror. scri-
nior. lib. 12.*, & extendi ad filios legi-
timos generaliter, ut cum pluribus
legibus probat *Garsia de Hispanor.
nobilit. Glos. 20. nu. 11.* Et qui prior
in genere facta patravit illustria sibi,
suisque successoribus longam acqui-
rit distinctionem, licet omnes filii
Adam, ut sequens docet carmen.

*Si Pater est Adam cunctorum,
Mater & Eva:
Cur sumus haud omnes
nobilitate pares?
Degenerant homines vitiis, fi-
untque minores:
Exaltat virtus, nobilitat-
que genus.*

- 9 Nunc ad alterum quæsumus: Contra patrem advocare certum est filium

non posse: *Ægid. in suo director. cap. 3. n. 1.*, quia filius debet parere parenti, ac ipsi non contradicere: *l. veluti ff. de justit., & jur.* Unde quis hoc faceret sine opprobriis, magno dedecore, summaque audacia? Et licet vellet, admittendus non esset, immò potius arcendus, puniendus, & a munere deponendus; venit enim, & descendit ex jure naturæ, quod nemo sit contra patrem pro tertii alicujus parte. Dico pro tertio, quia pro sua, atque proprio interesse potest quis litigare contra parentes, & facere suas alle-
gationes, quas alius Advocatus affi-
gnat; hoc etenim leges non vetant, & potest dari lis civilis inter patrem, & filium: potest iste justè litigare, aliis injustè, quod plerumque acci-
dit. Moneo hic obiter Advocatos, quod si defendat alicujus filii causam contra suum genitorem, abstineant a dictis, quæ sint contra obedientiam paternam; & si aliquod necessarium sit dicere, debita moderatione lo-
quantur; & sic filio litiganti suadeant, ac summo conatu intentent reducere ad concordiam, & transactionem; ac ad hoc ex charitate invitent ipsos parentes; sic enim justi erunt, & boni Advocati; & Deus nos liberet a talibus causis.

Si verò lis sit inter Patrem, & Pa- 10
triā, quæstio esse potest, cui po-
tius patrocinium noster exhibeat Ad-
vocatus? *Speculator lib. 1. tit. de
Advocato §. 1. nu. 28.* tenet parentes
contra patriam fore juvandos, sump-
to argumento ab ordine scripturæ,
ex d. l. veluti, ubi de parentibus pri-
mò fit mentio, deinde de patria, ibi.
Ut parentibus, & patriæ pareamus.
Idem affirms *Panor. in c. fin. de po-
stul. n. 7. Avil. in c. 1. prætor. in Glos.
tierra n. 11., & 12.* Videndum de hoc
*Jas. in l. 1. §. hujus studii n. 14. ff. de
justit., & jur.* *Alex. in addit. ad Bar-
tol. in d. l. 1. §. veluti ff. de justit., &
jure, ubi pro Patria resolvit.* *Xamar
de*

*de Advocat. p. 2. q. 3. n. 19. hoc pun.
ctum non decidit.*

11 Ego quidem licet Propheta non fui, neque ero facile in Patria mea, (quod quamvis mea imbecillitati attribuere velim, attamen dispensari poterat) nimis illam amo, totumque Regnum Lusitanum, & te, Charissima Ulissippo, usque ad Sydera semper extollo. Miraculum Orbis es, & Civitas grandissima. Alma Virorum Mater, quos studiis famosos semper dedisti, nec minus Marte potentes. Proxima Tago (qui aureis arenis, flavisque lymphis muros profluit) æratas puppes, Classemque horrendas mittis ad Oceanum, Regina maris. Tibi Ganges paret, Indusque. Tibi Brasilia, quæ Principum nostrorum amplissimum Imperium est. Tu clara Joanne Lybicis arenis, Almeydis potens, Fogaciæque. Castris horribilis, Cunhisque superba. Nunc DD. JOANNE QUINTO felicissima, cuius laudes terrarum Orbis dignis celebrat elogiis. Lusitanus sum, & Ulissipponensis: Gloria magna mea est; & si speculator foret, majus dubium haberet. Nihilominus ego ab illius opinione non recedo;

*Hæc erat alma parens, quò me per tela, per ignes
Eripis, ut mediis hostem in per-*
netralibus, utque
Ascaniumque, patremque meum,
juxtaque Creusam
Alterum in alterius mactatos
-quæ sanguine cernam?

12 Boni tamen Cives amantes Patriæ, neque pro Patria *Advocatus miles* sit timidus mori: Dat exemplum Anchises, ut omnes Viri hoc ardeant amore.

*Genitor, quem tollere in altos
Optabam primùm montes, pri-
mumque petebam*
Abnegat excisa vitam producere
Troia.

Exemplum pietatis erga parentem habemus in Æneâ.

*Mene efferre pedem, Genitor,
te posse relieto
Sperasti, tantumque nefas pa-
tris excidit ore?*

Judas per omnia corpore, & animo mori pro patria paratus erat: lib. 2. *Machabæor. cap. ult.* Quæstio hæc est etiam politica; & Tu cogitabis melius. Sufficit dicere me esse paratum vitam dare pro Patre, pro Patria si necessitas ita postulet. Neque contra istam, aut illum *advocarem* quo cumque casu.

SUMMARIUM CAPITIS XXXXI.

1 *Uxori communicatur nobilitas vi-
ri: Uxores Advocatorum, istorum
gaudent privilegiis.*

2 *Uxores Advocatorum vocantur
Domnæ: Dom hodie satis vulgare
est; ac vanis mulieribus valde fa-
miliare. Inverecundæ sunt, quæ
illud usurpant, stante legis prohi-
bitione. Et tu vide legem.*

3 *Nota pœnas assignatas contra
usurpantes, & consentientes, &
vide latè cum Extravaganti.*

4 *Origo verbi Dom exponitur hic.*

5 *Divus Adrianus Uxorem Na-
taliam vocabat Dominam: Eodem
modo Joannes Andreas Milanciam
clarissimam ipsius uxorem. A Gra-
cis hæc fuit derivata consuetudo.*

6 *Ad Viduas extenduntur privi-
gia, dum in hoc Statu perseverant.
Vidua videtur perdurare in præ-
rito conjugio.*

7 *Si ad secundas convolent Nuptias,
privilegium consequenter volat:
Per secundas nuptias veluti con-
tristatur anima prioris conjugis.*

8 *Panditur modus, quo mulie-
res conservent Dom: Vide, &
nota.*

9 Uxor reputatur eadem persona
cum Viro: Coniux Ovidii memoria-
tur; & Ovidiana carmina ponun-
tur in amoris signum.

C A P U T XXXXI.

Utrum prærogative, quibus fruuntur
nostræ Advocati, transeant ad ea-
rum uxores? Utrum possint istæ
vocari Domnæ? Et an viduae con-
servent nobilitatem? Exponitur,
& intelligitur Ordinatio Regia li-
bro 5. tit. 92., & agitur de Origi-
ne verbi Dom.

1 **A**ffirmativè resolvendum est, quia
uxori communicatur nobilitas
viri, & præstantia: *l. fæminæ de Se-
nator. l. mulieres, & ibi Platea, &
alii cod. de dignit. lib. 12. Narbona
ad leges Reg. lib. 4. tit. 1. l. 18. glos. 5.,*
& uxor sequitur forum, atque Viri
domicilium, *l fin. §. iidem rescrip-
runt ff. ad municipal. l. cùm quedam
puella, de jurisdict. omni. Judic. Mo-
lin. de rit. nupt., & pac. in matrim.
conv. lib. 1. comp. 23. ex n. 44. Grat.
for. tom. 4. cap. 623. n. 3. Franc. d.
363. nu. 1. Fontanel. de pact. nupt.
tom. 2. claus. 7. glos. 3. In terminis
etiam de nostrorum DD. conjugibus
Xam. de off. Advoc. p. 2. q. 2. n. 57.,
ubi plures invenies dicentes, uxores
Advocatorum, istorum frui pri-
vilegiis, quibus adde *Marc. d. 639.
part. 1.**

2 Immo ipsæ uxores nostrorum Ad-
vocatorum, & Doctorum, magnam
sibi arrogant nobilitatem, & vocan-
tur Domnæ, quæ quidem titulum *de
Dom* summopere appetunt vanæ
mulieres, & valde illo sunt conten-
tæ, quasi aliquem majoratum possi-
deant. Ast hodie (proh dolor! o
temporum injuria!) fere omnes
ipso titulo decorantur fæminæ, &
vel sutorum uxores, quod graviter
ferendum est: Immo ego his Civita-
tibus nosco plures homines humiles,

& viles, qui quoniam uxores vocant
de Dom, ideo aliae tectum ingredien-
tes mutuò sic appellantur; & quod
nobilitatis proprium est, fœdissime,
inverecundè usurpant contra *le-
gem Regiam lib. 5. tit. §. 7., ubi gra-
vissimas imponit pœnas.*

, E defendemos, que nenhum
homem, nem mulher se possa
chamar, nem chame de Dom,
se lhe nam pertencer de direito
por via de seu Pay, ou avo da
parte de seu Pay, ou por nossa
merce, ou que nos livros de
nossas moradias com o ditto dom
andarem. E as mulheres o pode-
raõ tomar de seus Pays, Mays,
ou Sogras, que o ditto dom di-
reitamente tiverem, como
sempre neste Reyno se costu-
mou.

Et infra eod. §. quantum ad pœ-
nas.

, E quem fizer o contrario
do contheudo neste Capitulo,
perderà a fazenda, ametade
para quem o accuzar, e a outra
para os cattivos, e perderà to-
do o privilegio &c.

Infra.

, E trazendo alguma demanda
em qualquer tempo, que seja,
se seu Adversario lhe quizer
oppôr, que se chamou de Dom,
serà a isso recebido, e sendolhe
provado, perderà a acção, e
direito, que tenha, sendo au-
thor; e sendo reo, perderà to-
do direito, e ferá havida por
provada a acção do author, e
sem embargo da excepção se hi-
rà pello feito em diante &c.

Et §. 8. imponit pœnas Patribus
consentientibus: atqui leges justæ ob-
ligant in conscientia, & sub pecca-
to quandoque secundum materiam,
ut est communis sententia Catholi-
corum, & tradit *Sot. lib. 1. de just.
q. 6. art. 4. Salmer. tom. 4. in Evan-
gel. p. 3. tract. 12. Bellarmin. to. 2.*

sperare per annos.

Dulcia cum Dominae dexter con-
nubia vultus

Annuit

lib. 3. de laicis c. 11. ergo debent homines in hoc meditari, & exterminandus est talis ulus, utpote contra nobilitatem vigens, & sanctam distinctionem, qua solum bene Res publica gubernatur. Et hoc est fur- tum gravissimum, utpote rei pretio-
sæ, & nobilitatis, quæ magis valet, & non bene pro toto venditur auro. Nota tamen, quod hæc Ordinatio hodie non habet locum in pœna amissio-
nis bonorum, juris, & actionis, atque privilegiorum, nobilitatisque, si exceptio pri na tantum vice oppo-
natur: *Peg. forens. tom. 3. de obligat., & action. cap. 35. n. 530.* per extra-
vagantem editam tertio die Januarii
anno 1611. secus dixit idem Peg. præ-
dictam legem prohibitivam titulo-
rum, cognominum, & armorum ha-
bere illicè locum quoad pœnam cen-
tum aureorum, & relegationis. Vi-
dendus de illa *Mend. in prax. I. p.
lib. 3. cap. 4. n. 4. Barbos. in re-
miss. hic.*

*4 Unde proveniat, habeatque ori-
ginem hoc verbum Dom, si icire cu-
pis, vide Garibay lib. 9. sui compen-
dii Historialis c. 2. pag. 392. Fratr.
Hieronymum Roman. lib. 4. de Repu-
bl. Gentil. c. 30. Sanch. in libr. Trian-
gulo das virtudes Theol. tit. da Espe-
rança art. 7. Sed antiquum sane est
juxta illud Virgil. lib. 6. Aeneid.*

*Hi Dominam Ditis thalamo de-
ducere adorti.*

*Iege Papin. lib. Sylvar. in Epitalamio
Stellæ, atque clarissimæ Violantillæ.*

*Tu modo fronte rosas violis,
modo lilia mista*

*Excipis, & Domine niveis a
vultibus obstas.*

*Quamvis Ansoniis multum gen-
ille petitus*

*Matribus, edomui victum, Do-
minaque potentis*

Ferre jugum, & longos jussi

Sic Divus Adrianus uxorem Nata-
liam Dominam vocare solitus est. Et
Joannes Andreas Milanciam uxorem
Dominam appellat *in c. cum secund.
col. 1. de prob., & in c. qui prior col.
penult. regul. de jur. lib. 6.* Hinc Itali,
Hispani, Gallique matronas appel-
lant *Damas.* Quamquam hæc consue-
tudo a Græcis derivatur, ut videre
est apud *Homer. lib. 3. Odysse.*, ubi
loquitur de Nestoris uxore.

Quod vero ad Viduas tristes (si
forte ita marentes, facile enim mu-
lieribus variis non credo) præroga-
tiæ nostræ trahantur, notant *DD.*
*per text. in l. filii §. Vidua ad munici-
pal. Guid. Pap. d. 249. n. 2. Thejaur.
q. for. 90. lib. 1. Narbon. ad leg. Reg.
lib. 3. tit. 16. l. 9. glos. 9. n. 10., &
seqq.* Videtur enim vidua in præteri-
to viri conjugio perdurare: *§. solut.
auth. de nupt. l. cum te, & ibi Bald.
cod de nupt. cap. is qui § mulier de
sepult. lib. 6. Glos. in Clem ne Roman.
verbo vacare, & ibi Imol., & Bar-
bat. de elect. Tiraquel. in tract. ces-
sante causa I. p. n. 107. Cabed. p. I.
d. 98., ubi ampliat procedere in pri-
vileg. exorbitantibus per l. ultim.
cod. de privileg. Scholar. lib. 12., &
in illis, quæ conceduntur ratione
dignitatis Tiraquel., ubi supra num.
108. Vide latè de hoc *Barbos. in l.
quia tale a principio ff. solut. matri-
mon. Otalor. de nobilitate 4. p. c. 8.
per totum.**

Non vero competit privilegia, si
ad secundas tendant nuptias, (nec
ideo tendere non vellent; quia pro-
perè quandoque non tam tendent,
sed convolabunt novi amoris alis)
concubitusque; dicunt enim passim
nostræ Jurisperiti, quod per secundas
nuptias anima prioris mariti contri-
statur. Non ego quid talem proferam,
neque

neque de illis animis separatis: immo potius, Anna teste, sic dicam:

Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?

8 Multum tamen nostro Advocato Phæbo debent mulieres; scripsit enim p. i. decisione 17., quā dat modum conservandi amatum titulum de Dom, quocum manere poterunt non solum statu viduitatis, sed etiam si ad ignobilem convolent sponsum prioris immemores, quod sc̄epe accidit. Est ergo cautela, quod antea impetrat rescriptum a Principe, ut suam nobilitatem conservet, non obstante matrimonio ab ea contracto cum pedite, sive homine ignobili, ex text. in L. nuptæ ff. de Senat. ibi. „ Nuptæ prius consulari viro impen- „ trare solent a Principe (quamvis „ perraro) ut nuptæ iterum mino- „ ris dignitatis viro, nihilominus in „ Consulari maneant dignitate, ut „ scio Antonium Augustum Juliæ „ Matronæ Confobrinæ suæ indul- „ sissem. Hæc fuit Julia Mamæa Ale- „ xandri Imperatoris mater, quo ad Imperium proiecto, statim Augusta est appellata, & cum Antiochiæ de- geret, originem Alexandria accer- sivit, a quo in pietate Christiana erudita sancte vixit, ut scribit Euse- bius Hist. Eccles. lib. 6. cap. 15. Ast hic textus, si verum amamus, non probat Phæbi intentum; quia Con- fobrina Imperatoris certe secundò nupsit Viro Illustrissimo, alioquin quid consequeretur ab eo? Num- quam ergo, quæ cum ignobili con- trahit, talis est digna favore, neque concessum vidi. Hoc esset esse me- mor honoris mulier, & oblita, me- mor nempe ad gratissimum Dom, ob- lita dum ignobilem amat, cum pos- set eligere nobilem, nobilique ma- rito non dare indignum successorem. Rejiciantur ergo similes a Principe nobilitatis fonte, ad quem non

intrat quid minus decorum.

Merito ergo nostris fruentur pri- vilegiis uxores, cum reputentur una, & eadem persona, & sint conjuges socii divinæ, humanæque domus: 1. adversus cod. de criminis expiat. bæ- red., & uxor est pars corporis viri: cap. admonere 33. q. 2. Afflict. in const. Neapol. in proæm. n. 9. Valasc. cons. 136. nu. 12. Cassan. in Catalog. glor. mund. Utinam omnes imitentur illam (amore dico, non gentilitate) de qua conjux Ovid.

*Uxor amans flentem flens acrius
ipsa tenebat,
Imbre per indignas usque ca-
dente genas.*

*Tunc vero conjux humeris abeuntis
inhærens,*

*Miscuit hæc lachrymis tristia
dicta meis.*

*Non potes avelli, simul hinc, si-
mul ibimus ambo,*

*Te sequar, & conjux exulis
exul ero.*

*Et mihi facta via est, & me capit
ultima tellus:*

*Accedam profugæ sarcina par-
va rati.*

*Te jubet a patria discedere Cæ-
sar isra:*

*Me pietas, pietas hæc mihi
Cæsar erit.*

Et dixit eleganter (quod nullus, quem viderim, notavit.) Si enim non est pietas, Cæsar non est.

SUMMARIUM CAPITIS XXXXII.

1 *Beneficia non conferuntur in ini-
vitos: Privilegium est beneficium.
Advocati libros necessarios non ha-
betes improbanter.*

2 *In libris Advocatorum non potest
fieri pignoratio. Neque stare potest
in libris Scholarium, & resolvitur
Advocatos esse Scholares. Quod
leges*

leges concedunt minoribus, majoribus non denegatur: Valet argu-
mentum a majoritate rationis: uti-
litas publica debet prevalere pri-
vata: Utilitas est publica, quod
Advocati libros habeant. Advoca-
tus non tenetur ultra quam facere
potest.

3 Pro debito parvo non potest su-
stentari pignoratio in re magni va-
loris. Hac parvitas est judicii ar-
bitraria. Ex libris considerantur
redditus, & comparantur ipsis
bonis immobilibus.

4 Illiduntur argumenta opposita
resolutioni. Bibliotheca est una col-
lectio, & non considerantur in il-
la libri divisi sumpti, ast uni ab
alteris dependentes. Memoria lo-
calis, & affectio in illis nimis at-
tenditur.

5 Argumentum proponitur pro no-
stra resolutione; & illud vide.

6 In ista materia attenditur ut finis
publica utilitas. Infertur ad libros
Advocatorum ex armis; & bobus
agricola. Valet argumentum à mi-
litia armata ad togatam. Advocati
sunt milites.

7 Sicut miles sine armis militare
non potest, ita etiam Advocatus
non valet sine librorum usu.

8 Stante memorata lege Regia; in
qua de Advocatis non fit mentio,
nostra nihilominus resolutio defen-
ditur, & vide bene, & solutio-
nem.

9 Pro domo conducta libri nostri non
venduntur: Supposita speciali af-
fectione non cadit obligatio rei, ad
quam est affectio, aut tacita hypo-
theca. Bibliotheca Advocatorum
est communis.

10 Confirmatur resolutio: Inclusio
unius non semper est exclusio alte-
rius. Leges non semper omnia com-
prehendunt; & tunc recurrendum
ad rationes.

C A P U T XXXII.

Utrum pro debitis Advocatorum pos-
sit fieri in istorum libris pigno-
ratio?

C Um beneficia in invitatos non
conferantur ex l. fin. cod. nnde
legit. l. invitus §. quod cuique ff. de
regul. jur., & procul dubio privile-
gium sit quoddam concessum benefi-
cium: Suar. de leg. lib. 8. cap. 36.,
forsan hoc limitari possit in aliquibus
Advocatis, qui velint, aut nolint
respectu istius quæsti largò fruentur
privilegio; cum etenim libros non
habeant, sed vastas juris doctrinas
capiti commendent, seu potius quasi
Principes, pectoris Scrinio, in qui-
bus poterit fieri pignoratio? Ipsi cer-
te habent impenetrabile privilegium,
quod frangere æternū leges, &
Judices non valebunt. Novi aliquem,
qui ligneis libris tumidus, interio-
rem machinam ostentabat, durissi-
mam sane, ast genio, capitique con-
formem. Parce sepulto. Instar mon-
tis equum divina Palladis arte, scili-
cet Sinon iste ædificavit, vñ tamen
hæc nostris fabricata est machina
muris, quam centum Gamgabæ
vix possent sustinere! Scire Hele-
num, farique vetat Saturnia Juno.
Ac etiam

vastos a rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum,
vozemque tremisco.

Sed satis salis est amari, propere-
mus ad nostram quæstionem, in qua
negative resolvendum est; ita ut pi-
gnoratio nullo modo possit fieri in
libris nostris: Ita Carvalh. in cap.
Raynald. de testam. p. I. nu. 269., &
nu. 280., ubi citat nostram legem in
3. tit. 86. §. 23. Et videtur nostra
resolutio certa ex glos. in l. Nepos
Procul ff. de verbor. significat., quam
commendat Rebuffustom. I. ad leg.
Gall.

Gall. tit. de lit. obligat. art. 2. glos. unic. nu. 94. , & artic. 4. glos. 2. nu. 18. Neque aliquis dicat impertinenter, quod illa dispositio procedit in libris Scholarium per dictam *Glos.* in *I. Nepos*; & quod isti sint termini; retorquebo enim argumentum mille telis, gladioque fidens; quia si Scholaribus, quanto magis Advocatis? Advocati omnes sunt scholares: scholares vero omnes non sunt Advocati. Ulterius, si leges hæc privilegia concedunt Scholaribus, ut ita dicam, ex prævisis meritis, & futura utilitate, cur non nobis, qui illam Republicæ jam damus? Neque erat necessaria de nobis mentio, quando enim lex minoribus concedit, nemo dubitat illam extendere ad maiores; valetque argumentum a majoritate rationis: *Surd. cons. 383. n. 14.*, & quod magis est in correctoriis: *Argell de contradictione legit. q. 2. n. 204.* Maxime cum hæc materia nemini præjudicet. Dices tamen præjudicare creditoribus. Millies nego, & dico mentiri; Si enim istorum utilitas est debitum consequi, debent sperare quod Advocati habeant ad solvendum; & quomodo solvent, si non acquirant? & quomodo acquirant, si libros non habeant? Suppone tamen, quod libri venditi sufficiunt solvendo debito; tunc enim videtur non procedere. Ulterius; quia licet non sufficient, minus est perdere partem, quam totum. Grandia sane argumenta! Recedite Creditores: Quia contra: utilitas publica debet prævalere privatæ: *I. mun. §. item ff. de mun. , & honor. I. Sancimus cod. de Sacrosanctis Eccles. I. nnic. §. final. cod. de caduc. tollend. auth. res quæ cod. commun. de legat. Surd. dec. 255. nu. 11. Cabed. d. 74. nu. 5.* Sed utilitas est publica, quod Advocati libros habeant: ergo vestra utilitas, Creditores, debet in tali casu cedere utilitati generali. Major est certa: probatur minor: utilitas est publica,

quod Advocati patrocinentur: ergo utilitas est publica, quod Advocati libros habeant. Antecedens est lippis, & vel notum tonsoribus: consequentia autem est evidens; quia sine libris impossibile est dari Advocatum. Accedit; quia vel debita excedunt pretium, & valorem librorum, vel non? Si secundum, præterquam quod semper militet argumentum superpositum, ridiculum sane videtur, quod Creditor non speret, ut ex librorum redditibus quasi, Advocatus postea solvat. Si secundum, & dantur plures Creditores, cum postea omnes facile, vel si unus est, in totum possint esse satisfacti, ad quid istud damnum? Et facit, quia Advocate, & Doctori aliquid relinquendum est ne egeat, quod est alterius questionis: Et adde, quod in conscientia, & in rigore Theologiae moralis nemo tenetur vendere instrumenta suæ artis, quamvis ære alieno nimis grauatus sit.

Hoc mihi probatur, & hæc certa, infallibilis, & uera resolutio, moribus bonis congrua, saluti, uitæque necessaria, alio impenetrabili arguento. Quia pro debito paruo non potest fieri pignoratio in re magni ualoris: *text. in I. magis puto §. ne possim ff. de reb. eor. I. 2. lex si quos cod. de rei vindicat. Peregrin. de jure fisc. lib. 6. tit. 4. nu. 6. vers. 7., pluribus comprobat Posth. de subhaft. inspect. 28. num. 5. Facit ord. lib. 3. tit. 86. in pri. verbo bastantes.* Et hoc jure utimur frequenter, & praxis est in Senatu; quia v. g. domus, aut villa non venditur pro paruis debitis (hæc materia est arbitraria bono Judici) sed ex redditibus consequuntur Creditores: Cur ergo ita non fiat respectu librorum, qui etiam dant ingentes quasi fructus, & lucrum?

Instabis tamen celeberrimè: Ex libris non dari fructus, neque redditus propriè loquendo. Respondeo cre-

Creditoribus, ex illis proveniri lucrum, & pecuniam, qua cum solvimus: ergo quæstio est de nomine, non de re. Sperent ergo; vel Judex disertus faciat illos sperare. Arguent ulterius. Poterunt aliqui vendi; & alteris bene manet *Advocatus* contentus. Nego sequelam. Aliter etiam, quando debitum est parvum, & dominus magni valoris, non integra subhastetur domus, sed aliquæ arbores a solo extrahantur. Credis hoc licitum, plerumque, Creditor avare, & invidiole? Unde Bibliotheca *Advocatotum* majori ratione non potest considerari divisim sumpta, neque libri de per se, sed prout sunt quædām collectio, uni ab alteris dependentes, uni alteros explicantes, & si istos demas, perditus *Advocatus* manet, qui suam molem congregavit ad defendendos etiam pauperes, & egenos; & habet suam memoriam localem, quæ perdi non debet, & vehementer ad hanc attendunt DD., ut aliquis præferatur in divisionibus, librisque maneat; in quibus consideratur maxima affectio.

5 Facit pro nostra resolutione aliud efficax argumentum, & cui æternum nullus poterit pro dignitate, verèque respondere; & sic se habet:

Nostra Ord. d. tit. 86. §. 23. ait ibi:

„ Porem naõ se penhorarão os „ Fidalgos, e Cavalleiros, e nos „ sos Dezembargadores nos Ca- „ vallos, Armas, Livros, Vestiu- „ dos de seus corpos, nem as „ mulheres dos sobre dittos &c.
Et §. 24. ibi.

„ Nem nos bois de arado que ti- „ verem os lavradores, e lhes fo- „ rem necessarios para lavrarem „ as terras, e herdades, nem nas „ sementes, que tiverem, e lhes „ forem necessarias.

6 Ergo similiter dicendum est de nostris *Advocatis*; indignum enim foret, quod leges Minervæ privilegia

darent militibus armatis; quæ non concederent togatis, dato eodem casu, & supposita pari ratione. Præcipue; quia lex prædicta in illis casibus respicit pro fine publicam utilitatem, tam in armis, quam librīs, & bobus agricolæ: atqui hæc eadem utilitas invenitur in librīs nostri *Advocati*: ergo idem de illis dicendum est; cum valeat argumentum a militia armata ad togatam; & in terminis ad nostrum *Advocatum*: *Mend. a Castr. in prax. lib. 1. cap. 3. nu. 27. Borell. in sum. dec. tit. 65. num. 20., & 21. Sayr. in clav. Reg. lib. 17. cap. 22. Garc. de nobilit. Glos. 35. nu. 10.*, & facit *l. Advocat. cod. de Advocat. divers. judic.*, cujus verba millies repetam.

„ *Advocati*, qui dirimunt am- „ bigua facta causarum, suæque „ defensionis viribus sœpe publi- „ cis in rebus, ac privatis lapſa „ erigunt, fatigata reparant, non „ minus provident humano gene- „ ri, quam si præliis, atque vul- „ neribus patriam, parentesque „ servarent. Nec enim folos no- „ stro Imperio militare credimus „ illos, qui gladiis, clypeis, & „ thoracibus nituntur, sed etiam „ *Advocatos*. Militant namque „ causarum Patroni, qui gloriosæ „ vocis confisi munimine labo- „ rantur spem, vitam, & poste- „ ros defendunt.

Hæc locutus fuit Imperator, neque enim aliis digne posset pro nobis orare; & hæc certe lex magis videtur oratio in nostrum honorem destinata. Unde his motus bonus *Par- lador. lib. 2. rerum quotidian. cap. fin. 5. p. §. 4 nu. 22.* aperte stat pro memorata sententia; sicut enim milites non possunt militare sine armis, ita *Advocati* sine librīs non valent: sequitur *Paz in prax. 1. tom. 5. p. cap. 2. num. 37. Rebuff. de scholar. privileg. nu 123.* ubi bene.

Argues tamen contra ex prædicta lege,

*lege, & §. 23. Ibi declarantur solum libri Senatorum: ergo Advocatorum Bibliotheca manet pignorationi subjecta; alioquin si lex voluisse, expressisset; facile enim posset. Responde cum Ægidio, Senatorum Regiorum libros executioni rei judicatae non subditos ibi declarari dignitatis causa ipsorum Dominorum, quo respectu Advocatorum libri eadem immunitate non gaudent, sed alio respectu, quia Advocati militare dicuntur: vulgaris, & repetita l. *Advocat. cod. de Advocat. divers. judic.* & non minus est necessaria Reipublicæ militia literaria, quam armata; illa autem sine libris exerceri non valet: ergo militare hoc privilegium procul dubio nobis competit.*

Et adeo hoc evidens, & certum est; & quod executio non sit facienda in libris nostris, quod neque prodomus conducte pensioni tacite obligentur, sicut alia bona: Ratio est propter predictam affectionem, qua data, & supponita, non cadit obligatio: *l. obligatione generali ff. de pignor. l. 1. cod. quæ res pignor. obligat. Ægid. in suo direct. c. 13. de privileg. Advocat.* Ista tamen ratio non in totum probat; ideo alia querenda est, quam facile invenire poteris, si attendas ad utilitatem memoriam nostri munera publici, qua quidem bene contraria illiduntur argumenta; & sequitur Advocatum non posse obligare libros suos, neque ullo modo renuntiare huic privilegio; cum eorum Bibliotheca vere dicatur communis, & parata ad defendendum gentes, & integrum Civitatem. Vereor tamen, ne quis mihi domos locet, solos enim libros habeo, ceteris bonis careo.

Tu vero firmiter sta pro nostra resolutione, quam etiam Lusitani DD. defendunt, stante supraposita Ordinatione, & licet mentio non fiat de libris Advocati, neque enim leges omnia comprehendunt, & in his,

circa quæ non disponunt, recurrendum est ad jus commune, ad rationem, & ad Doctorum placitum; piisque, ac propensi debemus esse ad materiam favorabilem; & præcipue adapta in hunc locum argumentum, de quo infra dicam in cap. 47. n. 5. *Quod tibi non nocet, & mihi prodest, teneris concedere:* Spera ergo, Creditor, provenientia lura ex libris nostris Reipublicæ destinatis. Neque etiam lex supra comprehendit omnia Senatorum privilegia in supposita materia, quod illi fatentur: Et licet comprehendenderet, & inclusio unius videretur exclusio alterius; dico hoc non procedere semper, ut per *Trentacing. variar. resolut. 1. tit. de consuet. nu. 13. Giurb. in consuet. Senatus Messan. p. 1. c. 15. Glos. 12. nu. 13. latè Mangil. de imputat. q. 69. nu. 12.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXXIII

1. 2., & 3. *Advocatus transmittit ad hæredes salarium illius anni, quo moritur.*
4 *Idem affirmatur, & quod ante solutum, peti non potest. Bonæ assignantur intelligentiæ. Vide, & nota.*

C A P U T XXXXIII.

An mortuo Advocato debeatur salarium anni, vel litis?

O Fortunati hæredes Advocatorum! Etiam sepulti dant vobis hæreditatem hujus questionis! Nec mirum est: lites habebat, lites relinquit Advocatus. Pauci tamen tales appetant hæreditatem, nemo enim litibus vincit, quin insimul superetur: Hinc est quod quidam libenter inimicis suis tales ambages appetebat, bonoque animo quoad victoriam, istam concedebat.

Sepultis

- 2 Sepultis ergo nobis, forsan illico disputabit haeres de nostris salariis, que quia ampla desideret, facundiam nostram laudabit pro rostris, ut majora taxentur. Grandes amici! Qualis consolatio est habere heredem? Absint a me. Si Deus vitam dederit, certe mea hereditas erit hereditas viventis. Vivis vivus benefaciam secundum vires, post mortem nihil fere restabit. Haec est mea conjectura; de futuris enim non scit homo. Nunc ad quæsumus. Quæritur ergo: An mortuo Advocato, aut in sua persona impedito, totius anni salaryum debeatur, quando annum promittitur? Aut alias totius litis debeatur?
- 3 Advocatum ergo consequi salaryum illius anni, quo moritur, & ad haeredes transmittere tenet Emmanuel. Soar. in thesaur. receptar. sentent. verbo *Advocatus n. 102.*, & verbo *mortui n. 237.* Sebastian. Medic. in tract. mors omnia solvit, p. 3. n. 26. Camill. Borell. in summa decis. tit. 65. de *Advocat.* n. 123. Barbos. ad Ord. lib. I. tit. 91. Et aliqui sunt DD., qui ad amplectendum hoc, se fundant in Glof. magna in l. si uno §. item cum quidam ff. locati vers. vel dic quod est verius; namque loquens ipsa generaliter in locatione operarum, vel rei, & operarum simul, tradit; quod & in persona locatoris, ipsius fortuito casu contingente, unde locatas operas præstare non valeat, integrum nihilominus mercedem consequi possit, qua sententia stante facilis erit responsio pro nostro Advocato impedito. Cœterum Glossa haec est communiter reprobata, ut bene Aegidius in suo directorio cap. 7. n. 1.
- 4 Et si salaryum nostro Advocato jam sit solutum, licet moriatur postea, solutum antea repeti non potest, aut ab haeredibus condici, ut probat Albericus in l. unic. num. 4. od. de suffragiis, per text. in l. I. *sicutusq[ue]2*

§. Divus num. 2. ff. de variis, & extraordinar. cognit., & nondum solutum, ut diximus, peti posse sentit Albericus idem in d. l. unic. n. 4. argumento text. in l. post duos cod. de *Advocat.* diversor. judic., & Glossa concordantes allegat: Speculat. in tit. de salariis §. sequitur de *Advocatorum salaryo* vers. quid si *Advocatus* nu. 9. Multos alios DD. pro nostra resolutione cumulat Aegid. d. cap. 7., ubi late de hac quæstione egit, licet confuse; & ad illum Lectorem remitto; neque enim in illa volo tempus terere, & præcipue, quia Authores citati ab Aegidio plenissime hoc demonstrant; & eorum dicta repetere non volo; his paucis contentus; & per modum Summarii: Et si verum dicere cogor, mihi supradicta non placent; quamvis enim libenter concedam salaryum solutum repeti non posse ab haeredibus, vel ab Advocato impedito; non considero tamen actionem in haeredibus, ut nondum solutum illud salaryum petere possint, mortuo Patrono, qui Clientem non defendit, licet in mente destinaret; solumque juxta tempus solvendum existimo, vel si una sit lis, juxta laborem, quem habuit; integrum tamen salaryum minimè dandum censeo, excepto casu; si annus sit quasi finitus, & deficiant solum duo, aut tres menses; forsitan enim si *Advocatus* viveret, his, non laboraret in processibus conclusis, aut in altero Advocato existentibus: Rursus, si unica sit lis, pro qua promissum salaryum, & in processu sunt allegationes sufficietes ad victoriam, dandum vellem; neque de minimis curarem: Absolutè autem affirmare salaryum haeredibus deberi, nihil penitus gerente Patrono, justum non videtur; & de Fisci Patrono, justum non videtur; & de Fisci Patrono ad alios non fit extensio; & conditio semper est faltem tacita, sub intellecta, & virtua-

virtualis, ut operæ prætentur, ut limitat Gail lib. I. obs. 44. num. fin. Unde cæptus labor mihi non sufficit ad totum promerendum; & ita abscedite, hæredes.

SUMMARIUM CAPITIS XXXXIV.

- 1 *Advocati habent prælationem in iis rebus, quæ eorum opera sunt custodita, ut sibi salario solvantur: Et firmatur hæc conclusio in bonis Fideicommissi.*
- 2 *Quando Advocati a litibus res concursus liberaverunt, in iisdem bonis aliis creditoribus præferuntur. Patrocinia sunt annexa rebus, ac coherentia administrationi: Rem reddunt alienabilem, si fructus non sufficiant: solvere talia debita est meliorare.*

CAPUT XXXXIV.

De præferentia Advocatorum in iis rebus, quæ eorum opera sunt custoditæ. Notabis tamen me in hoc loco non intendere limitare Ord. lib. 3. nu. 91., sed referre tantum opiniones DD.

1 **A**dvocati in iis rebus, quæ eorum opera ab Adversariorum manibus sunt custoditæ, propriisque fudoribus reparatæ, prælationem habent inter cœteros Creditores, saltem ex capite mercedis, & laboris personalis: Ex hoc capite conservationis nos privilegiatos contendit *Lanfr. Zach. de salar. q. 99. nu. 8. & seq.* Et in rebus ipsis defensis prælationis jus exercere valemus, etiam si sint bona feudalia, cum videlicet patrocinium fuit in utilitatem perpetuam feudi: *Molin. de primogen. lib. I. c. 27. fol. fin. Bald. in auth. excipitur cod. de bonis quæ liber., & in l. fin. §. in computatore cod. de jure delib. Majonar. de fideicommis. p. 3.*

Intriglisi

q. 67. *Intrigl. decis. Sicil. 16. n. 29., & in tractat. de feud. cent. I. q. 8. nu. 288., & cent. 2. art. 7. nu. 153.* Et firmant conclusionem in bonis fideicommissi, *Cravett. cons. 202. num. 151. Peregrin. de fideicommis. art. 50. nu. 19. Rot. decis. 157. n. 6. p. 4. Gregor. d. 197. nu. 4., & Addit. uu. 6.* Hæc in gratiam Advocatorum, ut scribam quod in hac materia invenio; de jure enim nostro præcedet qui prius fecerit pignorationem ex *Ord. in 3. tit. 91. vbi nostri &c.*

Et certum est Advocatos pro suis salariis generaliter consequi prælationem, quando res concursus a litibus liberarunt, & debent præferri in iisdem bonis anterioribus Creditoribus, velut ii, qui fuerunt in causa, ut res penes administratorem, vel debitorem persisteret, ac salva esset ipsius pignoris causa: patrocinia enim, labores, & servitia sunt eisdem rebus, & administrationi adeo annexa, & coherentia, ut tanto minus in illa esse videatur, quantum pro mercede, & salario solvendum, ac dandum sit: *Alex. cons. 117. nu. 2. lib. 6. Grat. for. discept. 257. a nu. 7. cum seqq. Giurb. d. 108. nu. 10. Amat. resolut. 3. nu. 10.* Sunt ergo litium expensæ, & principaliter nostrorum Advocatorum patrocinia valde necessaria pro rerum tutela, ac conservatione, ac onus rei inseparabile dicuntur, adeo ut ad ea teneatur successor majoratus, fidei commissarius; filius, cuius pater fuit legitimus Administrator; remque ipsam ita afficiunt, alienabilemque reddunt, si fructus non sufficiant:

Meres. de majorat. 4. p. q. 26. nu. 2. Surd. cons. 333. n. 26., & cons. 514. nu. 12. Bimius cons. 303. nu. 99., & 101. Menoch. cons. 1239. nu. 44. Petra de fideicommis. q. 15. n. 154. Velasquez d. 116. a n. 9. Molin. de primogen. lib. I. c. 27. nu. 11. Pinel. in l. I. p. 2. n. 70. cod. de bonis matern.

Aa

Garc.

16) Lanfrancus Zacharias

Garc. de expens. c. 6. nu. 19. *Phanut.*
de invento p. 5. n. 47. *Perus.* conf. 14.
Æmilian. conf. 15. n. 2. *Petrus Gregor.* de concession. *feud.* p. 2. q. 10. n. 19. *Scharder* de *feud.* p. 2. *sect.* 2. nu. 54. *Barbos.* in *l. divort.* §. *fin.* nu. 45. ff. *solut.* *matrimon.*, & alii plurimi *relati* a *Giurb.* d. 308 ex n. 10., & in *confuet.* *Messan.* c. 9. *Glos.* 2. p. 1. nu. 46. *Pereir.* de *empt.*, & *vendit.* cap. 27. n. 41. Hinc sequitur, quod solvens *Advocato*, qui pro his rebus suum dedit patrocinium, aliis est Creditoribus præferendus; quia solvere talia debita nihil aliud est, quam res ipsas utiliter meliorare, ut probat *Boer.* d. 43. num. 9. sequitur ex *DD.*, quos allegat *Muta* d. 12. n. 18., & plenius d. 57. n. 32. *Rub.* conf. 48. *Cassad.* conf. 28. per *totum*; & hoc sine pacto, & cessione de subintransendo. Et hæc rudi Minerva dixisse satis: aliquando majora canemus, dum tamen scias ob nostram legem correctoram hæc locum in nostro Regno habere non posse.

Rubeis

SUMMARIUM CAPITIS XXXXV.

- 1 *Mortales omnes periculis obnoxii: Spiritalis diligentia est præcavere insidias: Officium Advocati est periculorum.*
- 2 *Avaritia in Advocatis latè damnatur: Pietas vero laudatur.*
- 3 *Adhuc avaritia improbatur: Thesauri in Cælo querendi, & servandi: Moderatio commendatur.*
- 4 *Contra Adulatores severè hoc numero proceditur. Tu vide, & nota.*
- 5 *Si Advocatus succumbit in causa, periculum subit: Non est bonum promittere victoriam.*
- 6 *Convocantur Advocati ad concordiam, & remedia assignantur: Turpe, & indignum penitus est ad invicem jurgiis lacerari.*
- 7, & 8 *De paupertate infensa agitur, & multa panduntur utilia,*

Phanuccio

ut bono animo noster sustineat *Advocatus.*

Additio pulcherrima hujus Capitis.

Ut Tu *Advocatus* hæc vites pericula, & possis esse fortis, quin tempestatibus pereas, convenit esse versatus in aureo libro, cui titulus de Imitatione Christi. *Hic*, lib. 1. cap. 12. lege de utilitate adversitatis. Et lib. 3. cap. 19., de tolerantia injuriarum, & qui verus patiens probetur, & cap. 41. eod. libro, de contemptu omnis temporalis honoris; & cap. 59. Quod omnis spes, & fiducia in solo Deo est figura.

Immo nullus transeat dies, quin de hoc libro caput legas, matureque tecum ponderes. Si facias, dignissimus eris *Advocatus*, timoratæ conscientiae, & tibi præcimum, ac necessarium non deficit; Deo dante.

C A P U T XXXXV.

De periculis Advocatorum.

Cuncti quidem mortales hoc miserabili sæculo degentes mille quidem periculis obnoxii sumus, in calamitatibusque subjecti. Ast hoc capite mihi consentaneum visum fuit tractare de specialibus periculis Advocatorum, ut isti melius cavere possint; ad quod aliquas regulas dabo, cum Patronis nostris vitam optarem suavem; illorumque amore dudum rapiar. Spiritalis diligentia encomium est hostium præcavere insidias, & priusquam appareant, adversus tentationum bellate esse præmunitum. Nostrum officium periculosum esse dixit *Bald.* per *text.* ibi in *l. fin.* ff. *de inofficio. testament.* *Cajetan.* in summa verbo *Advocatus*, ubi plurima scribit pericula, quæ vocat *Advocati*, & *Procuratoris* iniquitates.

Plura

Plura tradit *Alberic.* in l. unic. nu. 7. cod. de suffrag. est autem hic bonus testis, quia cum Advocati muneri stupendam operam navaret, de facto proprio bene deponit. De his etiam dixit *Ægidius in suo director. cap. 14.* Ego pericula demonstrabo, & insimul remedia assignabo proficia.

² Primum, & capitale periculum Advocatorum secundum meum sensum est avaritia, qua cum injustas causas plerumque fovent. Ad hos adaptari potest illud Ecclesiast. cap. „ 4. I. Verti me ad alia, & vidi ca- „ lumnias, quæ sub sole geruntur, & „ lachrymas innocentium, & nem- „ nem consolatorem: nec posse re- „ sistere eorum violentiæ, cuncto- „ rum auxilio destitutos. Et laudavi „ magis mortuos, quam viventes; „ & feliciorem utroque judicavi, „ qui nec dum natus est, nec vidit „ mala, quæ sub sole fiunt. O Ad- vocati, quid agitis? Habetis oculos somno gravatos? Protegitis calum- niām, protrahitis processus? E con- versō fortis hirudo rejicit pauperes, Viduas, carceratos, hosque defen- dere non vult. Causa hujus rei est illa avaritia. *Quid prodest homini, si uni versum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Ecce remedium hujus doloris; scilicet hæc ultima meditatio.

³ Secundum Advocatorum pericu- lum est illa nunquam satis ploranda miseria; de qua Eccles. cap. 6. I. „ Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus di- vitias, & substantiam, & hono- rem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat; nec tri- buit ei potestatem Deus, ut co- medat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & mi- feria magna est. O' male parta ab Advocatis! Male parta, male dilabuntur. Ecce iterum Advocatus a- varus, quin eleemosinam pauperi-

bus præbeat, alienis acervum facit, propterque istos tendit ad Orcum! Ecce venit extraneus, & vorabit. Hoc est esse insipiens, & nimis stultus. Parvo estote contenti Advocati. Quid vobis hoc, si Diabolum, dum divitias, adoratis? Thesauri- zate, boni Advocati, in Cælo, ubi non est ærugo; acquisitis vero uti- mini justis. Et licet filios habeatis charos, vel ideo ipsis non præbeatis exemplum vestræ avaritiæ. Non egent opibus immensis, moderatio sufficit, & reservatio moderata alimentorum ad vestram senectam.

⁴ Tertium Advocatorum periculum est adulatio, qua ludunt sœpe sœpius Clientes, istorum factis annuen- do, & vel terribiles, pessimasque omnino actiones contra veritatem defendendo. O turpe ministerium! O Viri fane insensati! Adulatorum assentationes, & noxia blandimenta fallaciæ velut quasdam animæ pestes debent omnes fugere, ac ita tales rejicere Advocatos, qui mentes ho- minum corrumpunt, & molli vulne- re feriunt: Unde dixit sapientum quidam: *Verba adulatorum mollia;* feriunt autem interiora ventris. Si ad nostrum Advocatum accedit ho- mo dives, aut nobilis, causas pro- ponendo, & referendo suas cum ter- tio disputationes, laudat multoties, cum contrarium fundari in ratione indubitanter sciatur. O facinus horren- dum! Ideo te petit, scilicet, ut ve- ritatem dicas. Quid ergo mentiris? Liberè loquere, & si non bene ope- ratur Cliens, suade ut desistat, nec timeas eum reprobare: Omnia lau- dare, tam quæ malè se habent, quam quæ bene, non sapientis est, proibi- que Viri; sed indigni irrisoris non diligentis, sed decipientis more bu- bonis: Legite, Advocati, D. Pauli verba ad Theffal. cap. 2. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulatio- nis, sicut scitis.* Et Eccl. 7. *Melius est a sapiente corripi, quam stufo-*

rum adulacione decipi. Stulti ergo aliqui estis, non Sapientes, & Advocati. Nullum animantium genus assentatoribus est perniciosus: Scelestissimi hominum sunt, atque ex omni parte nothi, & degeneres: Meditamini in his, ut ab hoc vicio fugiatis.

5 Honoris etiam periculum subit Advocatus, cum succumbit in causa, quam justam arbitratus Clientulo suasit, ut notat *Ægidius in suo directorio c. 14.* Qui enim causa cadit, præsertim illa, cuius victoriam animose, ac nimis confidenter promittebat, honoris sui periculo cadit; præsertim si nullum votum pro sua parte habuit. Bene facit ille Advocatus, qui contentus lites defendere justas, proprium promittit laborem, de eventu non certificando; & hac ego praxi dudum utor; certum enim non est, quod ab hominum dependet judicio. Fateor tamen prius sope in hoc errasse; supponebam enim alias causas de jure insuperabiles; & ita dicebam: Postquam tamen contrarium inveni, & sententias illis casibus oppositas, nunquam ulterius de victoria dicam.

Hec nihil invitis fas quemquam fidere Divis?

6 Maximum Advocatorum periculum etiam stat in eo, quod hodie mos est Patronis aliquibus ad invicem lacerari, & injurias promere: Ad hoc utuntur quandoque verbis claris; & ambiguis, quæ nos dicimus remoques; & istis vel manifestatur ignorantia, vel quivis aliis defectus: Quisque pro sua parte viriliter agat, recusatque offendere Patronum adversarium; his etenim non est inter Advocatos, sed inter partes; & sic cessabunt odia, & non vulgares inimicitæ, quas bonus Judex notare debet, ut reducat ad concordiam; & prohibere talia bonis condemnata-

tionibus: Multos ego cognosco Viros utentes involucris ad iuam perniciem, & hoc contra modestiam, quæ bonis Advocatis est semper præcisa. Remedium hujus rei est sancta patientia: Qui tacet, vincit, & prudens est: Qui provocat, ignarus, & nimis stultus a me reputatur. Lege Proverb. cap. 26. *Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.* Et cap. 25. in fin. *Sicut Urbs patens, & absque murorum ambitu, ita Vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Et Proverb. cap. 30. *Est qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublimem: Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.* Hoc ego expertus maledico pepercii, & tantum dixi.

Omnia perdidimus, tantummodo vita relicta est;
Præbeat ut sensum, materiamque malis.

Quid juvat extintos ferrum dimittere in artus?
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

Paupertas etiam nostris solet esse infensa Advocatis, vel quia quandoque necessarium non acquirunt, etiam ingenio prædicti; ut testis est *Hippolitus*, quem citat *Ægidius in suo directorio cap. 14. nu. 5.* Quando Advocatus est pauper, & sumptuosa Bibliothecam non ostendit, ab illo indubitanter recedunt: Sequuntur homines tantum divitias, & prosperitatem.

Dum juvat, & vultu ridet fortuna sereno
Indelibatas cuncta sequuntur opes.

At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli,
Agminibus Comitum qui modo cinctus erat.

Atque haec exemplis quondam collecta priorum;

Nunc

Tristis 15, 28

Nunc mibi sunt propriis cognita vera malis.

Supponunt homines te pauperem, & inopem fructus uberrimos dare non posse, Sed ad quid? In Advocate quæratis pecuniam, aut scientiam? Si primam, ad mercatores convolate. Si secundam mihi ubique primam, ad pauperem intrate Patronum, & nimis egentem. Et in hoc loco placet notare, quod sancta Misericordia, Religiones sacræ; & alii Viri nobiles, & divites debent querere Patronum bonis moribus induatum, alta scientia, decorisque artibus versatum; ita ut præferatur aliis, non obstante paupertate; quia vel ideo succurrere debent; & sic melius administrabunt; solventes etenim, in ipso solutionis actu dant eleemosinam. O si ab omnibus Viris hæc veritas notaretur? Nunquam Sapientes fame laborarent; & indoceti apparerent tumidis marsupiis.

8 Tu vero, Advocate, patienter sustine; facile enim contemnit omnia, qui se cogitat moritum. Tu dic.

*Non ebur, neque aureum
Mea reni det in domo lacunar.
Non trubes Hymettia
Premunt columnas ultima reci-
fas
Africa, neque Attali
Ignotus hæres Regiam occupavi:
Nec laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuræ Clientes:
At fides, & ingeni
Benigna vena est.*

Æqua scilicet tellus pauperi recluditur: Sæpius ventis agitatur ingens pinus, & graviore casu decidunt tress. Rebus angustis fortis, & animosus appare, sanctamque amaritudinem: virtus repulsæ nescia fordidæ intaminatis fulget honoribus, nec sumit, aut ponit secures arbitrio popularis auræ: Denique

*Intactis opulentior
Thesauris Arabum, & divitis
Indiæ
Cæmentis licet occupes
Thyrrenum omne tuis, aut ma-
re Punicum:
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira neces-
fitas
Clavos: non animum metu
Non mortis laqueis expedites
caput.*

Dos scilicet magna in mente habere, quod peccare nefas; & pretium mori. Indigno hæredi pecuniam quid properes? Quamvis improbae crescent divitiæ, nescio tamen, quid semper certæ abeit rei?

Multa alia pericula Advocatorum adducerem in medium; sed jam per discursum hujus libri tacta. Qui videre cupit, legat Ægidium, ubi supra, & ab eo citatos. Hoc tamen velim cœteris adjungas, & mihi peculiare, scilicet scribere de Advocatis:

*Quicumque Argolicâ de classe Ca-
pharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retor-
quet aquis.
Et mea Cymba semel vastâ percul-
sa procellâ,
Illum, quo lesa est, horret adi-
re locum.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXXVI.

- 1 Pro civili debito non est incarcerandus Advocate. Istud privilegium generaliter competit omnibus illis, qui non tenentur ultra quam facere possunt; sicut Advocate.
- 2 Licentiati pro debitis non detrunduntur in carcerem Advocate militibus exequantur.
- 3 Late probatur hæc resolutio multis DD.
- 4 Argumentum pro contraria parte proponitur, quo contenditur solos

- solos DD. hoc privilegio frui.
- 5 Contrarium est certum : Eadem privilegia, quæ competunt Doctoribus, nostris competitur Advocatis ; & solum excluduntur Doctorelli.
- 6 Carcer est species torturæ : Advocati torqueri non possunt.
- 7 Indignum esset, quod Advocatus pro debito civili in carcerem detruderetur : Carcer est locus horribilis : Per carcerationem corpus affligitur : Carcer est sepultura viventium : Etiam experientia amicorum.
- 8 Advocati equiparantur Doctoribus actu legentibus : Qui advocat, actualiter legit : Utilitas publica dependet ab Advocatis : Ipsi habent pro se presumptionem delicti exclusivam.
- 9 Judices in terminis non possunt carceri mancipare Advocatos : Per capturam injustam infertur a Judice ignominia : Captura est irretractabile prejudicium. Judex injuste mandans capere, ad damnationem tenetur.
- 10 Judex debet esse proclivis ad Advocatos, & illos honorare propter munieris auctoritatem. Opinio aequior est amanda, ac a Judice elegenda.
- 11 Antiquitus ex domo nemo exhibat ad carcerem. Carcer Advocati debet esse propria domus : Plurima consilia nostris hic dantur Advocatis. Privilegium memoratum est in gratiam professionis.
- 12 Advocatus debitor ex dolo, tali privilegio non gaudet.
- 13 Hoc privilegium est favorable, deductum a Legibus Principum, ac visceribus Imperialis doctrinæ. Privilegium potest derogare juri expresso. Cætera vide.

C A P U T X X X X V I .

Utrum Advocatus pro civili debito sit incacerandus ?

N Egative resolvendum est : Ita 1 Aegidius in suo directorio Advocatorum c. 13. de privileg. Advocat., ubi citat ita dicentem Angel. Jason., & Rodericum Suar., nec non & Baeça, & hoc nu. 4., ubi potes videre. Idque generale asserit in omnibus, quibus competit privilegium, ne convenientur ultra quam facere possunt : atqui hoc privilegium, sive ista exceptionis natura competit nostris Advocatis, ut bene supponit idem Aegidius ibi : ergo negativa conclusio prevalere debet ; immo contra illam nulla ratio condigna inventari potest, & solum potest militare invidia, avaritia, aut odium Creditorum.

Pro hac nostra certa, & infallibili ratione stat Alexander in l. centurio nu. 25. ff. vulgar., receptumque unanimiter, ac judicatum tradit d. Baeça de inope debitore cap. 16.n.151. noster Phæb. p. 1. decis. 48. nu. 12. Parlador. rerum quotidian. lib. 2. c. fin. quinta p. §. 7. ex nu. 21., ubi etiam amplectitur mere licentiatos ; quia ad hos non injustis de causis Doctorum, & Advocatorum privilegia porrigitur. Bald. in l. 1. ff. solut. matrimon. Antibol. de munib. 3. p. §. 1. nu. 56. Lenauderii in tract. de Doctor. 4. p. q. 3. Rip. in l. centurio nu. 18. ff. de vulgar., & pupil. & specialiter Parlador. n.23., ubi supra per hæc verba : ergo & Advocatis quamvis non sint Doctores, neque Licentiati, sed dumtaxat Baccalaurei idem juris tribuimus, id est, ut pro ære alieno non detrudantur in carcerem. Ratio est ; quia Advocati nostri militibus exæquantur : l. Advocati cod. de Advocat. divers. judic. Militibus autem competit prædictum

dictum privilegium, ne scilicet in horrendum carcerem detrudantur. Et ponit etiam Parladorus aliam rationem jam supra memoratam; quia Advocatus non tenetur ultra quam facere potest.

- 3** Sequitur hanc nostram certissimam opinionem *Franc. Marc. q. 659. nu. 3.*, *Josephus Ludovicus d. 6. Puteus de syndicat. verbo Doctor n. 1. Xamar de offic. Jud., & Advoc. p. 2. q. 2. n. 14. Farinac. in prax. crim. tit. de carcerib., & carcerat. q. 27.* absurdum enim esset, quod nosiri DD. pro debitibus civilibus carceri traderentur; & numquam hoc potest esse: *text. in l. Medic.*, & ibi *Glos. in verbo exhiberi cod. de profess., & medic. lib. 10. Rip. in l. miles ff. de re judicat. Bartol. in l. si libert. ff. de in jus vocand. Bartol. in tract. de carcer. q. 2. Jas. in l. generaliter in fin. ff. de in jus vocand. Masc. in l. edictum n. 5. ff. de quest. Tiraquel. de nobilit. c. 20. nu. 136. Menoch. de arbitr. quest. lib. 2. q. 88. n. 7. Benius Eugub. in tract. de privileg. Juriscons. p. 2. privileg. 49. num. 1., & seqq. Matthes. sing. 50.*

- 4** Argues tamen, licet æternum te non audiam: Hæc privilegia sunt concessa Doctoribus, de quibus in d. l. medic. atqui non omnes Advocati sunt DD. ergo videntur nil probare hæc ultimæ authoritates §. præcedentis. Et instabis; (iterum audire te nolo) quia talia privilegia competit solis Doctoribus actu legentibus, & non aliis: ergo excluduntur Advocati: antecedens probatur a Bartol. in d. l. medic., Angelo, Joanne de Plat. in rubr. cod. eod. tit. Aretin in § item Romæ nu. 2. in fin. ff. de excusat. Tutor. Parpal. in l. placet col. 9. cod. de Sacrosanct. Eccles.

- 5** Contrarium tamen est certum, neque ullo modo de nostra resolutione dubitari potest: Eadem ergo privilegia competit Doctoribus

actu non legentibus; & Advocatis, seu alio modo in legali scientia se exercentibus: *Ben. de privileg. Juriscons. p. 3. privil. 96. num. 5. Ripa memoratus in l. centurio n. 17. ff. de vulgar., & pupill.*, & hic pro nobis acerrime stat. Hæc opinio est omnium recentiorum, usque servatur toto Otbe, ut legentibus patet; ac ita fuisse decisum in Consilio Delphin. testatur *Guid. Pap. q. 88.*, & q. 388. Facit *Mantua lib. 2. obs. c. 17. Soc. in tract. de citat. art. 5. nu. 35. Roland. cons. 66. num. 37. lib. 1. Vulpel. resp. 141. n. 8.*, infinitosque alios refert *Ben. supra Farinac.*, ubi supra nu. 83. Rem indubitabilem asserit cum plurimis *Fontanel. de pact. nupt. tom. 1. claus. 3. Glos. 2. n. 16.*, ubi extendit ad omnes Advocatos, & solùm excludit Doctorellos: *facit Thesaur. q. for. 99. lib. 1. nu. 4.*

6 Et rationibus demonstrari posset in infinitum. Quia carcer est species mala torturæ; atqui Advocati tortueri non possunt: ergo neque carcerari. Major est certa, & quam probare non vellem. Qui carcerem experti sunt optime norunt, & facit *text. in l. item apud Labeonem §. quest. ff. de injur. l. omnes cod. de pæn. cap. nulli dubium 3. q. 1.* Idque in ore omnium quotidie versatur, ut apud *Bald. in l. si Cleric. col. 2. vers. primo queritur post n. 6. cod. de Episc. audiunt. Marsil cons. 29. n. 34. Castald. in tract. de syndicat. num. 103. Rol. cons. 41. n. 15. vol. 4. Jodoc. in tract. crim. 4. de carc. nu. 2. Bonacoss. in commun. opin. crim. p. 1. vers. carcer est mala mansio.*

7 Ulterius: Indignum, horrendum que videtur, & a jure absonum, quod viri illi, qui Jurisprudentiam exercent, & vel Imperialibus laudibus condecorantur, in carcere habitent indecoro: Qui quidem carcer est locus horribilis; tum propter privationem conversationis hominum, tum etiam propter immunditiam,

Vulpelli

Bonacossa

tiam, quæ in carceribus reperiuntur: facit text in l. si quis in ea culpa cod. de custod. reor. Propterea per carcerationem corpus affligitur nimis: Angel. conf. 213. Carcer est sepulta vivorum; consummatio bonorum, consolatio inimicorum, & rara experientia amicorum:

Dum fueris felix, multos numerabis amicos,

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Horrea formicæ tendunt ad inania numquam,

Ibit ad amissas nullus amicus opes.

8 Absit ergo, longeque absit hæc inclemensia a nostris Advocatis, proficiatque ars juris facunda, & scientiarum honos; & præcipue; quia Advocati, ut jam diximus, æquiparantur ipsis Doctoribus actu legentibus, & dum actu advocant, actu legunt; atque actualiter scribunt. Cedat utilitas privata, si qua est, utilitati publicæ: utilitas publica nostris Advocatis certè dependet. Et mihi genuina etiam est ratio; quia totum principium, ob quod proceditur ad capturam propter civile debitum, est ut incarcерatus querat pecunias ad solvendum, quod fortasse liber non exequetur, sed ludet Creditores: hoc autem non est præsumendum de nostris Advocatis, solum enim pro se habent præsumptionem exclusivam sinistri facti propter eorum dignitatem, amplissimamque autoritatem: Testay alleg. 7. nu. 142. Immo quia in carcere non detinetur, poterit lucrari ad solvenda debita: & licet non ita, certe minus in carcere: Unde quod tibi Creditori non nocet; mihi autem prodest, teneris concedere.

9 Sed quid rogo Creditores, ad Juges clamo, qui non possunt carceri mancipare pro civilibus debitis eximios viros Advocatos; & non

possunt ignorare jura manifesta, quæ si laudent in odium Advocatorum (quorum plerumque plerique sunt crueles inimici, & ita veluti a me præsumuntur; cujus dicti meminisse opportet) redundat manifesta injuria; per capturam enim injustam infertur a Judice ignominia cum gravi, ac irretractabili præjudicio, ad quod omne Judex tenetur injuste mandans: l. si Clerici col. 2. cod. de Episcop., & Cleric. Neviz. conf. 52. nu. 8. text. in l. nec magistrat. ff. de injur. Rot. conf. 17. n. 1. vol. 3.

Et quamvis dubium aliquod datur contra nostram conclusionem, aliaque instantia, semper tamen Judex, ubi non offendit tertium, debet esse proclivis ad nostros Advocatos, & illos honorare propter munieris autoritatem, decusque grande. Accedit; quia nostra opinio est utilis Reipublicæ, est præmium bonaram artium, & procul dubio æquior est; & hoc sufficit ut ametur a Judicibus: Neviz. in Sylv. nupt. lib. 5. in 4. limit. n. 68. Cœphal. conf. 93. nu. 6. lib. 1. Corat. in suo tract. de commun. opinion. lib. 2. tit. 9. cas. 19. nu. 100.

Advocatus in sua domo debet assistere, a qua si egreditur, est in partium beneficium. Hoc istæ privari non debent: at vero nobis domus tutissimum refugium, Chari libri, & Comes Bibliotheca: antiquitus ex domo sua nemo exibat invitus in jus vocatus, l. plerique: l. sed et si is ff. de in jus vocand., cuius intellectum tractat Lot. in suo memoriali juris, verbo Domus. Viv. in vol. commun. opinion. lib. 2. opin. 36., Baldus scripsit impune posse resisti apparitori, ut refert Parlador., ubi supra nu. 1. Recessit ab aula hæc confutudo, & opinio certe non mala omnino. Attamen nostri Advocati non extrahantur a domo propter debitum civile, neque ullo modo in carcere detrudantur. Carcerem illis assigno

affingo domum propriam ; & maximam commendō illis assistentiam. Vivant securi , fugiant debita , solvant si possint ; dum non possunt , acquirant juste ad solvendum , sumptibus parcant immoderatis. Si tamen , quod valde dolendum est , sis debitum onustus , nec ideo ego Judex in carcerem te detruiderem , cūm privilegium sit in gratiam professionis , Advocate , gradusque tui ; qui vel ideo quando dolose non egisti , & vere solvendo non es , non potes juste incarcерari , neque tuo munere indignus appares , ut vel illo per consequentiam , incarcerationemque priveris.

12 Novi ego quemdam Advocatum , & illum intelligas , de quo jam memini , qui domos locabat unas , & alteras , quas postea sublocabat , pretiumque illico accipiebat ab inquilinis. Postea Domini domorum celsum quærebant Patronum , ut eis solveret. Neque teruntum dabat ; sed multoties de dominio dubitabat ; litemque promittebat ingentem , quam se defendere posse jactabundus ostentabat. Sex mensibus vixit uno quasi palatio hujus insignis Civitatis ; & cūm eum quidam amicus interroget , cur domos adeo ingentes habitabat , respondit se velle currere , & ambulare ; praterquamquod pretium sibi idem erat , vel magnas , seu parvas coleret domos ; nemo enim dabat quod non habebat ! Bibliothecam tamen habebat ingentem , sed ligneam. Hic certe indignus omni privilegio , & nomine Advocati in carcerem detrudi poterat , nisi de illo misericordiam Creditores haberent : ob ista ergo , & similia , quæ procedunt ex aperto dolo , & quasi crimine , Advocatum non frui tali privilegio dico , sed in carcerem detrudendum clamo , alias minime : Ast de hoc sequenti capite , Deo dante , dicemus.

13 Noto ulterius in hoc capite , no-

strum privilegium memoratum esse favorable , & ut tale reputandum , & est ut tale interpretandum : *I. beneficii. ff. de constit. Princip.* Et tam pium aliquo privilegium esse potest , ut augeri possit ; & derogare juri communi : *Tiraquel. tract. de pia causa nu. 160.* Pietas certe , grandiisque favor involvitur in eo , quod Advocati non detrudantur in carcerem : Et licet aliquod in eo reputent odii Creditores , certe falluntur ; licetque ita esset , semper vinceret favor communis , Collegique , aut nobilitatis decus ; & majus pondus habere non potest odium , quam predictus favor. Sciant Creditores cum quibus rem agant. Et si ob id pecuniam nobis mutuam dare recusaverint , quando egeamus ; Deus movebit corda aspera illorum , & qui Deum habet , nihilo eget. Servetur intactum nostrum privilegium , quo tamen frui ego non vellem , neque aliquis cupiat. Vivamus (iterum dico , millesque dicerem) debita moderatione , parvis emolumentis contenti ; divites vero Domini JESU gratia , in cuius laudem omne genuflectatur.

SUMMARIUM CAPITIS XLVII.

- 1 *Advocatus non potest proposito privilegio renuntiare ; & licet interveniat juramentum. Hoc non servatur in Roma , si Doctores sint obligati in forma Camerae.*
- 2 *Farinacius invehitur contra privilegia Doctorum , & Advocatorum , & ait tempestatis fato introducta. Alienum hoc est a Viro dictum : Advocatus verus mille privilegiis dignus.*
- 3 *Senatus judicavit non valere renuntiationem nobilitatis. Hac est recepta Sententia , communisque in judicando , & consulendo. Ampliatur a Doctoribus , licet interveniat juramentum.*

4 Juramentum in tali casu non ligat, quando nempe privilegium est datum respectu qualitatis inherenteris; & propter certum ordinem, & statum. Nemo cum juramento potest promittere de re non sua. Juramentum in alterius præjudicium conceptum, & præstitum, nihil operatur; neque servari opportet, quando alicui detrimentum infert. Non est vinculum iniquitatis; & si sit, non est vel ideo obligatorium.

5 Per legem non potest constitui legitime, ut nobilis propter debita civilia incareretur. Reprobatur Phæbus. Legislatores debent præmio afficere nobilitatem, ac intactam ab injuriis servare, nobilibus que favere sine tertii præjudicio. Plura ad rem conducentia hic lege. In Advocatis non habet locum præsumptio occultandi bona. Quod tibi non nocet, & mihi prodest teneris concedere. Creditoribus prodest, quod Advocati in carcerem non detrudantur. Utilitas publica hoc postulat, cui debet cedere privata.

6 Si de facto Advocati occultant bona, eis homagium non datur. Qui occultat bona, dolum, & fraudem committit. Propter hoc perditur nobilitas, & privilegium cessat.

C A P U T XXXXVII.

Utrum Advocatus possit renuntiare prædicto privilegio, quo fruitur, ne in carcerem detrudatur. Quid, si juramentum interveniat?

I **S**equitur modo: Utrum Advocatus possit tali privilegio renuntiare, & se obligare ad capturam, si non solvat Creditori? Negative etiam resolvo; cum tale privilegium sit inductum favore publico, & ut Doctoratus dignitas præservesetur. Et adeo

hoc militat, ut etiam si interveniat in obligatione juramentum, Advocatus capi nihilominus non possit: l. si unus § si paciscar & § seq. ff. de paet. c. si dilig. cum ibi notaris de for. compet. Bartol. in l. si quis pro eo ff. de fidejussor. in terminis resolvit Ben. de privileg. Jurisconsult. p. 2. q. 49. nu. 4. vers. neque Doctor. tenet Farinac. de carcerib., & carcerat. tom. 1. tit. 4. q. 26. nu. 84. Qui tamen dicit hanc ampliationem de facto non servari in Urbe, si Doctores sunt obligati in forma Cameræ.

Scio ego ipsum Farinacium graviter inveni infra contra DD., & ait se nescire, quo tempestatis facto fuit hoc nostrum privilegium introductum. Miror sane de Farinacio, cum adeo claræ sint pro nobis rationes: ego quamvis Farinacium veneror, nunquam tale dictum probabo, quod sane ab illo alienum putarem, & esse cujusdam maligni additionem censerem, maligni, id est contra Advocatos tumidi, plurimi enim sunt, qui nostra privilegia vellent exterminare; cum sane altioribus digni essent boni Advocati; & me testor in hoc deponere proprium amorem, inclinationemque ad munus. Advocatus doctus, integer, bonaque fidei publicis statuis decorari deberet; cum lapidi, cedroque digna proferat, erga que Deum plurimum mereatur.

Sic etiam apud Phæb. p. 1. d. decis. 48. jam diu noster integerrimus Lusitanæ Senatus, nullique secundus, judicavit renuntiationem nobilitatis non valere, ut idem refert Phæb. nu. 1. ergo si Advocatus suo privilegio renuntiet, hoc non erit in consideratione, neque poterit in carcerem detrudi, licet non solvat tempore promisso. Hisce terminis emendavit Senatus Judicem inferiorem, qui decreverat, quod quidam nobilis ad vincula publica duceretur. Hanc receptam Sententiam, & magis com-

communem in judicando, & consu-
lendo testatur *Cevall.* in *practic.*
quest. *commun.* contra *commun.* q.
688., illamque ampliat *Gom.* in l. 99.
Taur., ubi nu. 3. inquit, quod hæc
renuntiatio nobilitatis nullius erit
momenti, etiam si nobilis cum jura-
mento renuntiet nobilitati: sequitur
idem, & in terminis juramenti *Burg.*
de Paz. *conf.* 10. nu. 7.

- 4 Neque mireris, ex eo quia etiam
hoc procedat, supposito Advocati
nobis jurisdictione; istud enim in ta-
libus terminis ligare nullo modo po-
test. Et probatur; quia privilegium
concessum respectu qualitatis inhæ-
rentis, & respectu unius collectionis
personarum, & propter eorum sta-
tum, & ordinem, omnes tangit, &
non solum singulos: unde si franga-
tur prædictum privilegium, omnes
vim patiuntur, & offenduntur, re-
sultatque dedecus toti Collegio: ergo
nobilis Advocatus non potest re-
nuntiare tali privilegio, neque cum
juramento; sic etenim promitteret
non solum de re sua; sed de com-
muni, & nobilitate alterorum: Jam
vero juramentum in alterius præjudi-
cium conceptum, & præstitum, vel
alicui tertio detrimentum inferens
servari non debet, ne sit vinculum
iniquitatis; quapropter non est ob-
ligatorium: cap. sicut literis de jure
jur., ubi *Abbas*, & alii, & omnes
in c. sua eod. tit. *Menoch.* *conf.* 108.
nu. 56. *Giurb.* ad *consuetud.* *Messan.*
c. 2. *Glos.* 7. nu. 29. *Conr.* *Zahn.* lib.
3. cap. 8. de *Mendacio jur.* firmato
nu. 125. Talis ergo renuntiatio in-
duceret ignominiam, & dedecus spe-
ctabili Collegio Advocatorum: ergo
non est servanda, & facit cap. con-
tingit de *Sententia excommunicat*
l. jus publicum ff. de pact.

- 5 Aliam rationem, ne privilegium
nobilitatis renuntiari possit adducit
Cevall., quem ubi supra n. 6. citat
noster Advocatus Phæbus. Per legem
non potest constitui juridice, & ra-

tionaliter loquendo, ut nobilis in-
carceretur pro debito civili; quia
lex debet esse justa, & rationabilis:
cap. erit autem lex 4. dist. ergo si per
legem hoc fieri non potest; neque
valebit per pactum: *text.* in l. fin.
cod. de *fidejusor.* l. non impossibile ff.
de *pact.* *text.* in l. nec ex *Prætor.* ff.
de *regul.* *jur.* l. neque pignus §. pri-
vat., & *Glos.* *cod.* *decret.* *Decur.* in
rubr. lib. 10. *Tiraquel.* de *rebus exi-*
guis vers. *confirmatus in principio.*
Hanc rationem vocat *Phæbus insipi-*
dam; sed insipide tamen ait. Nam-
que ego antecedens tamquam cer-
tum, evidensque habeo respectu
nobilitatis, & præcipue respectu
nostræ. De nobilitate absolute lo-
quendo probo sic. Quia certum est
de jure Legislatores debere præmiis
afficere nobilitatem, & ipsam con-
servare intactam: Atqui hoc non
potest fieri, si nobilis homagio non
fruatur: ergo rejicienda est lex con-
traria nobilitati, ac permittens no-
bilium capturam propter civile debi-
tum. Major est in confessio apud om-
nes: minor est evidens; quia nobili
capto cessat educatio filiorum, dela-
pidatur omne, non potest curare de-
litibus, ignominiam consequitur,
plebeis miscetur, & ad mortales an-
gustias reducitur. Et si quisque igno-
bilis a carcere liberatur per cesso-
nem, cur non a capture nobilis li-
berabitur, qui non habet unde sol-
vat? Ille traditur carceri, quia præ-
sumitur occultare: hæc præsumptio
in nostris Advocatis, & nobilibus
locum non habet: querant ergo Cre-
ditores bona, & si non inveniunt,
majus ipsis est præjudicium detrude-
re in carcerem Advocatum nihil ha-
bentem, cum iste in sua libertate
positus lucrari possit ad solvendum,
& ita datur spes solutionis, quam
adimere esset grande nefas. Iterum:
Quod tibi non nocet, & alteri pro-
debet tenèris concedere: l. 2. §. idem
ajunt, & §. denique ff. de aqua plu-

via arcenda. Glos. in l. in summa §. idem labeo ff. eod. tit. Surd. d. 120. nu. 12. Menoch. cons. 14. nu. 8. DD. in l. 2. in princip. ff. solut. matrimon. ergo multo fortius est concedendum, quando tibi Creditori posset prodeesse. Cur ego ergo contra hæc tam clara supponam legem, quæ non sit injusta, & sine fine habili; quæ speranda non est ab aliquo Principe, sive Legislatore? Detrudatur in carcere nobilis Advocatus, & vir aliquin benemeritus vivus tradatur sepulture? Cessabit eloquii vox illa, quæ fuit pauperem levamen, egencrum solatium, Viduarum refugium, servorum clementia, Dominis vero terror, cedat immo utilitas privata publicæ. Si dicas, quod sine uno, aut altero viro sufficiet Collegium Advocatorum, dico lites esse multis, & unumquemque suo dignum honore; Et si ad hæc non attendis; & tibi non est cura unius hominis, quare ergo curas de illo, qui Advocatum totis viribus conatur detrudere in carcere, vivumque seperire? Numquid Advocatus in carcere lucrabitur, ut solvat? Si vero dicas, posse a te alimentari, & sic in carcere illum cupis, hoc mihi non videtur posse dari sine peccato, cuius fomes exterminanda est; neque adhuc sine illo tale admittendum censerem. Quod fieri non posse sine peccato regulariter probo. Nonmodo enim sine odio potest Creditor velle sustentare in carcere Advocatum secundum dignitatem, & impedire lucra? Dum impedit, debitum amittit; & dum sumptus quotidianos probet, sine utilitate dispendit. Ergo hæc facies sine peccato, & damnata intentione? Minime reor.

6 Dixi præsumptionem occultandi bona cessare in Advocatis; quia proficisci semper stat bona præsumptio, ut diximus: si tamen de facto occultent, tunc homagium non conce-

ditur. Quia qui occultat bona, ne in eis fiat executio dolum, & fraudem committit: ex tot. tit. ff., & cod. quæ in fraud. Creditor., & in §. in fraudem Inſtit. de act. Et in his terminis delictum relucet: *Glos. in l. 1. verb. crimin. ff. de fidejussor. jur. lex 1. §. plane de tutel., & rat. distrah.* ubi dolus delictum appellatur: *Decius in tract. crim. lib. 1. c. 4. de dolo per totum.* Probatur melius: Quia qui celat, sive amovet aliquam rem hereditatis, dicitur furtum committere, & tamquam fur punitur: *l. si servus fin. ff. de acquir. heredit.* ergo ita nobilis celans, & occultans bona sua, ne in eis fiat executio ad instantiam Creditorum, dici debet furtum committere, cujus ratione plusquam certum, & expeditum in jure est nobilem quemcumque perdere nobilitatem: *l. 1. cod. quando licet fin. Judic. se vend. Tiraquel. de nobilit. q. 24. Ita Otalor. de nobilit. 3. partis princip. c. 10. nu. 3. vers. secundus casus;* & Madritti judicatum testatur *Baeça de inop. debit. cap. 16. nu. 21.*, & Vallifoletti decisum assertit *Gutier. in alleg. tract. de juram. confirmat. cap. 16. nu. 29.* sequitur *Calef. in tract. de equestre dignit. nu. 56.*, & 57. *Azeved. lib. 6. novæ recopilat. tit. 2. l. 4.*, & 5. n. 19.

SUMMARIUM CAPITIS XLVIII.

- 1 *Artibus quies, & Juri gratis sima.*
- 2 *Advocatus debet esse remotus ab extrinseco tumultu; ac artificum sonitu: Causa studiorum nimis favorabilis est. Fabrum prope obſtrepentem expellere possumus: Ita observatur apud omnes.*
- 3 *Doctores de hac materia agentes referuntur, & qui hoc Judicis arbitrio relinquunt. Certis casibus Judex expellere debet, aliis minime.*

- 4 Non est differentia quoad hoc inter Scholasticos, & Advocatos: Utrique dant operam studiis: Scholastico tribuitur hoc privilegium; & Advocato: omnis immunitas concessa Professoribus spectat ad Advocatos.
- 5 Hoc privilegium expellendi conceditur Advocatis, quia in eorum studio vertitur utilitas publica: Doctorum Virorum scientia Respublica melius gubernatur; & totus illuminatur Orbis; ac vita subjectorum informatur ad obearendum Deo, & Principi: Omnia, quae propter utilitatem publicam sunt constituta, admitti debent in casibus studii.
- 6 Fabrum expellendum concluditur: Reprobatur Vasconius: docta Respublica hominibus indoctis non gubernatur.
- 7 Discursus in Vulcanos.
- 8 Similis causa ad expellendum est summaria; & in illa procedi potest diebus feriatis; ne impediatur utilitas publica.
- 9 Quando faber fuit preventus ab Advocatis, proculdubio expelli potest: Ab ipsis Sententiis in tali materia non datur appellatio: Studium non patitur dilationem.
- 10 In via fabris destinata non habet locum conclusio: In hac famosa Civitate non sunt expellendi fabri a suis locis assignatis: Lysii vocamus arruamentos, & ad Cameram spectat eos conservare: Dantur rationes, & de hoc latè agitur.
- 11 Si in alia faber, & Advocatus domos conducant; ille est expellendus: Major minori præfertur: Iterum reprobat Vasconius pro fabris acerrimus miles: Tu dices indocti habent Assessores.
- 12 Responsio ad l. certi juris: Miles potest de rebus militaribus judicare: Physicus major hujus Regni non solus judicat.
- 13 Quando faber Advocatum præ-
- venit, non est expellendus: Declaratuer materia latè, & assignantur bona fundamenta.
- 14 De Gamgabis sermo est, qui si perturbant, expelli possunt.
- 15 Expellendus est faber, licet prævenerit Advocatum, quando iste alibi habitare commode non potest, faber vero valet.
- 16 Advocati, aut Scholastici volentes expellere fabrum, non debent cadere, si in suo munere non proficiant.
- 17 Advocatus Eremita gaudet dicto privilegio expellendi; & est Scholasticus.
- 18 Multi Advocati petunt fabrorum vias: Fabri sunt terribiles, & semper suas habent injurias, litigiesque.
- 19 Firma stat conclusio multis aliis Doctoribus, qui hic referuntur: Advocati dicuntur Oraculum Civitatis.

C A P U T XXXXVIII.

Utrum Advocatus possit expellere fabrum, studium, & laborem suum impedientem? Utrum in hac lite procedi possit tempore feriarum? Et an detur appellatio hoc in casu?

Tristia
4/ a 44
Certum est Advocatum placida quiete ad studendum, & laborandum indigere; præcise enim hæc requiritur ad scribendum, componendum, & ad quodcumque opus intellectuale. Nec tantum a curis, animique vexationibus debet esse alienus, ut Poeta Ovidius testis est.

Carmina secessum scribentis, & otia querunt,

Me mare, me venti, me fera jactat hiems.

Carminibus metus omnis abest,

ego perditus ensem

Hæsurum jugulo jam puto jam que meo.

Sed

2 Sed etiam ab extrinseco tumultu, ac ululatu vocum, magnoque peditum strepitu; fabrorumque, ac artificum sonitu indiget esse remotus. Igitur cum causa studiorum hoc dependeat, & nimis favorabilis sit, ut in auth. *habita cod. ne filius pro patre*; & *privilegiata*; inter cetera privilegia hoc est collatum nobis, quod fabrum prope obstrepatem expellere possimus; quod passim, & vulgo dicit solet; ac ab autoritatis generaliter observatum traditur.

3 Magna tamen circa peculiares causas est in hac materia Doctorum controversia, & de hac quæstione agunt Bartol. in l. 1. ff. *soluto matrimonio*, & ibi clarius Thomas Parpalea nu. 44. ff. eod. Abbas in c. *ultim. in fin. de judic.* Franciscus de Marchis q. 634. nu. 3. p. 1 *Rip. in d. l. 1. num. 130. Alciat. num. 51.*, & Visit. nu. 185. Socin. jun. nu. 272. 273., qui hoc judicis arbitrio relinquunt; itaque ex eorum dictis Judex certis causibus poterit fabrum expellere, aliis minime.

4 Ut postea melius me expediam ab hac quæstione, notandum est prius, nullam differentiam quoad hoc esse inter Advocatos, & Scholares, utriusque enim studiis dant operam, & certe Advocatus Scholasticus est; & par omnium istorum est in hoc conditio; quemadmodum enim Professori tribuitur hoc privilegium; ita Scholastico; est enim eadem causa studiorum præcipua ubique, ut apud omnes in d. l. 1. ff. *solut. matrimon.*, ubi Alex. nu. 35. Jas. nu. 46. Socin. 64. Alciat. nu. 54. Socin. jun. n. 276. Ripa nu. 134. latè Visitarinus num. 187. Parp. nu. 48. Rebuff. dt *privileg. Scholar. priv. 5. nu. 6.* De Advocato specialiter ibi dicunt, & scribunt; ut est Rip. ad d. l. nu. 132. Alciat. nu. 52. in fin., quoniam omnis immunitas concessa Professoribus est pariter concessa Advocatis; ut

ex Bartolo, ceterisque DD. in l. *medicos cod. de professoribus*, & Medic. lib. 10. Guid. Pap. q. 88., & quæst. 388. Mantua lib. 2. obs. cap. 17. Et in terminis noster insignis Petrus Barbos. ad hanc legem memoratam num. 61.

Conceditur ergo nobis hoc privilegium, quia in nostro studio vertitur publica utilitas: *Glos. fin. in l. 1. cod. de studiis liber. Urbis Romæ lib. 12. l. 1. cod. qui etate se excus. lib. 10; & ibi Oddofred.*, Doctorum etenim virorum scientia Respublica melius gubernatur: §. *fin. in proæm. Instit.* §. *Discipuli in proæmio Digesti veteris*; & Scientia Advocatorum totus illuminatur Orbis; & vita subjectorum informatur Sapientibus ad obedientium Deo, & Principi: *auth. habita cod. ne filius pro Patre*; & utilitas, quæ resultat ex hominibus doctis est certe publica: *Jas. in l. stipulatio* §. *habet n. 11. de nov. oper. nunciat.* Unde omnia, quæ propter utilitatem publicam sunt jure constituta, admitti debent proculdubio in casibus studii, ut in specie sentit dicta *Glos. fin. in l. 1. cod. de stud. liber. lib. 12. Novellus de dote 6. p. privileg. 46.*, & 57. Dec. cap. 1. nu. 19. *de probat. l. fin. nu. 12. cod. de edend. Curtius Junior. auth. res quæ n. 43. cod. commun. de legat.*

Faber ergo terribilis malleans juxta Scholas, & nostros Advocatos expelli certe poterit: *Amic. conf. 104. num. 5. Vivius iib. 2. commun. opin. 88.*, & *DD. supra*. Scio tamen Bartolum dubitare de hoc, & articulum ad partes disputare, postquam *Bolognet. ad d. l. 1. ff. solut. a num. 213.*, quo non obstante, a communi opinione non est recedendum. Neque audiendus est *Vaconius lib. 1. declar. jur.* contendens artifices esse partem Civitatis, sine qua Urbs consistere non potest. *Aristot. lib. 7. Politic. c. 8.*, Doctores non esse Civitatis partem; quia illiterati possunt judi-

judicare, & postulare; quod primum probatur ex *l. cert. cod. de judic.*, ex quo infert celeberrime fabrum esse præferendum. Sed hoc est evidenter frivolum argumentum, neque umquam docta Respublica hominibus indoctis gubernabitur, sed Doctissimis, & Sapientibus, neque fabros perite faciemus Cives: *Idem Aristot. lib. 3. Polit. cap. 3.*, & tradit Platea *l. 2. post princip. cod. qui etate se excusant lib. 10.* docte *Horatius Lucius de privileg. Scholar. privil. 46.*

Absint ergo a nobis inquieti fabri, præcipue illi qui laborant horrendo ululatu; strepitique vasto.

*Erigitur Liparem fumantibus
ardua saxis,
Quam subter Specus, & Cyclo-
pum exesa caminis
Antra Ætnæ tonant, validi-
que incudibus ietus
Audit referunt gemitum, stri-
duntque cavernis
Structura Chalybum, & forna-
cibus ignis anhelat.
Vulcani domus, & Vulcania
nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens Cælo des-
cendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclo-
pes in antro.
Brontesque, Steropesque, & nu-
dus membra Pyracmon.*

Et infra.

*alli stridentia tingunt
Æra lacu, gemit impositis in-
cudibus antrum:
Illi inter se se multa vi brachia
tollunt
In numerum, versantque tenaci
forcipe massam.*

*Quis ergo ex nobis hos strepitus au-
dire poterit? Quis sonitum massæ,
ærisque fragorem?*

*Immo, tu notabis hoc nobis adeo
competere privilegium, ut similis
causa sit summaria, & in illa procedi*

possit diebus feriatis, ne impediatur aliter publica utilitas; & quia est causa absolute hominum studentium: *Rebuffus de privileg. Scholar. privil. 4. Insignis Barbosa, ubi supra. Fran-*

cisc. Marc. d. 368. n. 7. p. 1.

Primo ergo Doctor, Advocatus, Scholaisticus poterunt expellere fabrum, quando ab illis iste fuit præventus: *Jacob. & Bartol. in d. l. I. ff. solut. matrimon. Abbas in c. ultim. in fin. de judic. Marchis q. 635. n. 3. p. 1.*, & est ratio, quia præveniendo potiores sunt in jure: *l. 2. §. si quis nemine ff. ne quid in loco public. l. po-
tior, & l. qui balneum ff. qui potior.
in pignore habeant.* Neque ab ipsis sententiis in tali materia dabitur appellatio suspensiva: *Mut. super con-
suetud. Panormitan. cap. 70. nu. 27.
Bald. in l. unic. cod. si de momentan.
possession.*, studium enim non pati-
tur dilationem: *Grat. for. cap. 186.
num. 15.*

Hoc tamen dicunt DD., & Bartolus *citatis locis non habere vim in via fabris destinata, & ita practicatur in his amplissimis Civitatibus; non pos-
sunt enim expelli fabri a suis locis assignatis; immo per Senatum con-
servantur in domibus, & nos Lusi-
tani vocamus hoc arruamentos pri-
vative per Regum provisiones spe-
ctantes ad Cameram, quæ illos con-
servabit, & sua jura intacta, ita ut
tales domus non possint dari aliis ex
vi privilegii alicujus, & ut vulgo di-
cimus dar de apozentatoria. Profecto
æquitas ipsa in his casibus nos repel-
lere debet; nec enim loci aptitudo suadet, ut ego in illa via domum conduceam, immo legitima confue-
tudo te fabrum defendit, cum in ea via confueverint fabri artem suam
exercere: ergo est meæ culpæ, vel
negligentiaz hoc adscribendum. Ac-
cedit, quod si nos possemus in hoc
casu fabros expellere, evenire pos-
set, ut omnes aliquando expelleren-
tur; & hoc non est admittendum.*

Si tamen

11 Si tamen in alia via Doctor, & Advocatus, simulque faber conducant domos, fabrum dico expellendum: *Rip. in d. l. 1. num. 129.*, quia major minori præfertur: *l. obser. §. profici sci ff. de offic. Procons. l. exigendi cod. de procurat.* Hic tamen argumentatur ille memoratus Vaconius pro artificibus pugnans viriliter, & vocando iterum artifices partem Civitatis, & capaces ad judicandum. Absint a nobis tales Judices, apud quos ego non forem Advocatus; & certum est illiteratos non posse obtinere Magistratus §. 1. in auth. de judic., & si quando olim evenit hoc apud Romanos, ut hodie apud Venetos, ipsimet Cives causas non judicant, sed eorum Assessores: *l. nullus judicum cod. de assessor.*, & si forte illi per imperitiam aliquid agant, certe Magistratus tenentur: *l. 2. ff. quodquisque juris, ubi DD.*

12 Nec obstat *l. certi juris cod. de judic.*, quia ex hac minime probatur fabros, & imperitos absolute posse esse Judices; sed tantum in certis casibus, sicut miles inter suos commilitones, cum de rebus militibus habeat peritiam; immo nos Lusitani videmus in hoc casu ipsos habere Assessores Sapientissimos, & Senatores egregios, & vocamus hoc Judicium *Assessoria*, ubi militares judicantur, sicut nostro tempore condemnatus fuit ad mortem Ludovicus Alvares de Andrada miles nobilissimus, si facta generi essent conformia, Uxoremque felix relinqueret intactam, & a suo servo liberam; (domino enim turpiter jubente) ab isto occisa fuit; vendicata tamen iudicio innocentia, piique conjugis infelicitis mores. Ita illam potentiam judicandi interpretatur optimus *Corasius lib. 1. Miscellan. jur. c. 19. Aurel. lib. 3. sent. jur. cap. 3. prope medium Hoto lib. quest. illustr. c. 27.*, & ita videmus Architectos esse aliquando in suo artificio Judices, cum sint

artis periti. Etiam videmus Judicem Physicum majorem hujus Regni contra imperitos usurpantes sibi artem Medicinæ; sed solus non judicat; datur enim ex regimine judicij adjunctus Præses maximus Curiæ, Regalisque Domus.

Quando ergo faber prævenit nos, 13 qui in alia via commode vivere possumus, etiam non eit expellendus, & hoc ob præventionis privilegium: *l. si pluribus de leg. 1.* Sed hoc fundatum non eit bonum, neque noscitur a me tantum; quia præventioni non eit locus, quando una causa est altera major: *l. contra pupillum §. is qui ad majus ff. de re judicat. Bartol. in l. 2. §. ultim. n. 2. ff. de custod. reor. Oldrad. conf. 234. Dec. Cæteri in cap. cum parati de appellat.* ergo valide poterit in hoc faber eventu adhuc expelli. Sed contra; quia supradicta procedunt ratione majoris potestatis, quæ concurrit eodem tempore cum minori, ut declarat *Decius conf. 640. num. 3.* At hic eodem tempore non concurrunt; quia jam faber prævenit Advocatum, qui justam causam non habet hoc casu ad expellendum. Neque impeditur utilitas publica, quando alibi potest Advocatus commode habitare. Denique: Quod tibi Advocato non nocet, & alteri prodest, concedendum est: *l. 2. §. item Varius ff. de aqua pluia arcenda: Socin. jun. conf. 76. nu. 13. lib. 2. Cravet. conf. 226. nu. 3. in fin.* atqui, ut supponimus, poteris alibi habitare commode: ergo non eit perturbandus terribilis faber; neque duro cum homine litigare velis; maxime cum prævidere posses impedimentum, & illud evitare. Cum ergo in illud sponte tua te conjeceris, audi tumultus, vel illico tolle grabatum tuum, & ambula, neque enim hoc casu te juvabo, propter *l. si fidejus. §. si necessaria cum simili ff. qui satis dare cog.* Et scias arbitrium juris, five Judicis

Judicis maxime versari etiam in cognoscenda illa Doctoris pari commoditate ; longa tamen est nostra Civitas , quæ vere est orbis.

- 14 Ego (Deo gratias) a fabris remotus vivo , sed à nebulonibus vexatus cantantibus , & saltantibus juxta domos in suis liminibus ; enim honore pleni spumantes hauriunt pateras , & plenissimis se proluunt poculis , pauperrimis postea Cytharis exultantes , patriisque sistris. Nec canunt lunam errantem , solisve labores : non unde genus hominum , & pecudum , unde imber , & ignes ?

*Arcturum , pluviasque Hiadas ,
geminosque Triones ,
Quid tantum Oceano properent se
tingere soles
Hiberni , vel quæ tardis mora no-
tibus obstat.*

Sed potius.

(124) *misi dives Gallegia pubem
Barbara nunc patriis ululantem
carmina linguis ,
Nunc pedis alterno percussa ver-
bere terra
Ad numerum resonas gaudentem
plaudere cetas :
Hæc requies , ludusque viris , ea
sacra voluptas.*

Ab illis liberet me Dominus , sed interim patiar horrendos cantus , fremitusque quasi boum.

- 15 Quando ergo alibi habitare comode non possumus , sequitur ex supradictis fabrum terribilem expellendum , ut bene *Menoch. de arbitr. judic. lib. 2. centur. 3. e. 237. n. 23.* ubi dicit DD. communem ; & nostra necessitas attendi debet : *Dec. in l. quæ propter necessitatem de regulis juris.* Et quando etiam faber prævenit *Advocatum* , sed alibi ipse faber potest habitare , dico nos esse præferendos.

- 16 Quæres pro coronide : utrum si *Advocatus* proxime cingendus velit expellere fabrum obstrepentem , vel *Scholasticus* aliquis hoc idem inten-

tet , debeat *cavere* de *damnis* , & impensis ipsi artifici , si forte illi in suo munere non proficiant ? Credo hoc non bene peti posse , sufficit enim ipsa talis scientia actualis , quæ *Reipublicæ adjumento* esse potest , neque omnibus est datum , ut aiunt , adire *Corynthus* ; sufficit ergo quod sint parati ad studendum , laborandum , & defendendum.

Quæres ulterius : utrum *Advoca-
tus Eremita* (sunt enim , ut fortassis ego , plures) & qui semper , seu pro maiori parte temporis solus est sine clientibus , debeat gaudere tali privilegio ad expellendum ? Dicerem per regulas vulgares , afflictio non esse addendam afflictionem ; ergo cum tali materia non potest audiri faber ; fortassis enim tunc *Advoca-
tus magis studeat* , aut componat , & sufficit esse paratus , & quod ipse speret , non desperet. Absint ergo à nobis terribiles , & duri homines fabri , præcipue *Vulcani* , quos semper odi profanum vulgus , & arceo. Favete linguis.

Nosco tamen multos , ipsos pro vicinis appetere , & querere fabrum vias ; omnes enim fere habent lites , quotidie pugnant , armisque sese mutuo laceffunt. Quid numerum injurias illorum atroces , & verbales ; vix enim os aperiunt , quin proximos lœdant ? Quisque ex nobis suam sequitur viam , mihi tamen , quæso , locum relinquant fabri intactum.

*Certe quidem audieram , qua se
subducere colles
Incipiunt , mollique jugum demit-
tere clivo
Usque ad aquam , & veteris jam
fracta cacumina fagi
Omnia carminibus vestrum ser-
vasse Menalcam.*

Su ambages fugias , fabrorumque lites.

*Quod nisi me quecumque novas in-
cidere lites*

*Ante sinistra cava monuisset ab ili-
ce cornix,
Nec tuus hic Mæris, nec viveret
ipse Menalcas.*

Firma ergo maneat nostra supra
19 posita conclusio, quam sequitur e-
tiam Xamar de offic. judic. & Advo-
cat. p. 2 q. n. 54. Amic. cons. 104.
Acasius variar. resol. cap. 11. de em-
pt. & vendit. n. 119. Luc. de Penna
in l. unic. in fin. cod. do studiis liber.
urbes lib. 12. Jacob. Ben. de privile-
giis Jurisconsult. p. 69. a n. 3. p. 3.
& idem est in similibus impedimen-
tis, ut in malis odoribus, importu-
no sono campanæ, & vocibus infel-
tis, sicut ait idem Ben. d. privileg.
69. n. 12. & 13. Felin. in cap. ultim.
in fin. de judic. Deus nobis indulgeat
quietem, ut possimus hoc sæculo la-
borare, detque domus studio aptas,
sunt enim præcise homini Advocato,
cujus domus a Doctoribus dicitur
totius oraculum Civitatis, pauperum
remedium, & plerumque divitum
charum levamen.

SUMMAR. CAP. XLIX.

- 1 *Advocatus secundum plurimos DD. non potest recusari. Qui po-
tent non est ad gravandum re-
cusari non valet. Suspicio debet
percutere jurisdictionem.*
- 2 *Promotores non possunt recusari.
Promotores dicuntur communes
inimici, & quare a malevolis ita
vocentur explicatur. Debent di-
ci Amici: ipse Advocatus dici-
tur parti contrariæ inimicus.*
- 3 *Advocatus inimicus magis idone-
us est: vide sensum, quocum
loquimur.*
- 4 *Argumenta probantia Advocatum
non posse recusari: Advocatus
obesse non potest.*
- 5 *Procurator recusari non potest:
validum est argumentum de Ad-
vocato ad procuratorem, & con-*

- 6 *Inimicum non posse esse Advo-
cum, judicatum tradit noster
doctissimus Lusitanus Cabedo:
Authores ita afferentes.*
- 7 *Inimicus homo non admittitur ad
accusandum inimicum suum in
delictis, & hoc de jure nostro
regio, & hinc infertur ad Ad-
vocatum: Vide argumentum so-
lutum.*
- 8 *Prosequimur sustentando nostram
resolutiōem, & contrariis res-
pondendo.*
- 9 *De eodem. Magna est differentia
in eo, quod Advocatus non co-
gatur advocare contra amicum,
& eodem tempore possit postula-
re contra inimicum: Vide late;
& quod possimas, seposito, re-
motoque odio.*
- 10 *De eodem.*
- 11 *Christianum novum posse recusa-
ri: Non posse publica munera
exercere: Judæi presumuntur
inimici Christianorum veterum.*
- 12 *Cunctorum Pater est Adam: pro
Domino Iesu Crucifixo vitam
millies dare parati esse debemus.*
- 13 *Licet de facto forsitan non den-
tur, possunt dari Advocati, &
Judices ex Hebreis descenden-
tes. Hoc reprobat Portugal, &
alii passim.*
- 14 *Apud Deum est odiosa persona-
rum acceptio. Inter conversos a
Gentilitate, & à Judæis segre-
gationem rejicit Barbosa; &
non esse excludendos Christianos
novos affirmat.*
- 15 *Probatur latè ab aliquibus au-
thoribus. Fundamenta proponun-
tur. Non omnes ex natione He-
braica concurrerunt ad mortem
Iesu Domini. Aperte probatur.
De jure Castellæ non excludun-
tur Christiani novi ab honori-
bus.*
- 16 *Nobilitas Judæorum maxima,
dempto peccato. Multo Christia-
norum novorum fuerunt insig-
nes,*

nes, & possunt existere doctrina, fide, & integritate. Pana debet tenere suos authores. Ob factum alienum nemo potest molestari.

17 *Plurima pro Christianis novis traduntur quoad honores; & late videnda. Judæi, qui Christi Domini morti concesserunt, dudum periere in obsidione Hyerosolimitana.*

18 *In Judeos scribimus hic. Vide notabilia.*

19 *Infames non possunt esse Advocati, & qui sambenito stant. Christiani novi possunt esse Advocati, si sint boni nominis.*

20 *Plura ac hac materia, & ultimo de utilitate Bibliæ. De Novi Testamenti pulchritudine.*

C A P U T XLIX.

8 *Utrum Advocatus possit recusari? Agitur de Christianis novis: obiter tractatur de exclusione ipsorum respectu dignitatum. Agitur de Advocato inimico.*

1 *Q*uod Advocatus non possit recusari, tenent aliqui propter plurima fundamenta, quorum mihi præcipuum est. Qui non potest aliquem gravare, non potest etiam recusari: atqui Advocatus non potest gravare illos, contra quos patrocinium suscipit: ergo neque ab ipsis recusari. Maior est certa; quia suspicio tantummodo debet percutere jurisdictionem, & votum, non verò instructionem processus, aut allegationes, quibus conducentibus pars uti debet: ita tenet, & tradit resolutum Peguer. *d. 33. n. 4. Pil. controv. for. cap. 12. n. 7.* Minor non eget probatione: Conclusio sequitur.

2 Ideo etiam Promotores juxta multorum opinionem non possunt recusari ab inimicis, cum tamen illi quasi Advocati allegent, & inquisita de-

licta prosequantur, probataque facinora pena condigna clament non manere immunia, quod nos facimus. In hoc verò, vel crimen est probatum, vel non? Si secundum, quid mali faciet Promotor, aut Advocatus? Si primum; quicumque sit, amicus, vel inimicus, semper Judex sententia castigabit fontem: immo tales Promotores dicuntur communis inimici; ut tenet *Alfar de officio fiscalis glos. 10. n. 1. & 2. Tbor. vot. 22. p. 2. a n. 5.* Non quod vere inimici sint, sed quia homines malevoli ita eos vocant, cum contra culpatos promoveant. Fragilis hominum conditio! melius etenim amici dicerentur, vel quia pro Republica pugnant, vel quoniam ipsum supplicium est fortuna reorum; & pena peccati, quo postea homines vitam emendat, animamque servant, aliter in peiora ruunt, impunitique maiora crimina aggrediuntur: immo ipse Advocatus, quicumque sit in causa criminali, dicitur accusati inimicus: *textus in l. 1. §. Qui autem, quem citat Farinac. in prax. crim. tom. I. tit. 5. q. 49. n. 73. Alberic. in suo dictionario verb. adversarius Luc. de Penn. in l. 1. col. 2. v. item Advocatus cod. de sui qui defer. lib. 10.*

Et facit aliud fundamentum fortissimum ad hoc ut Advocatus non recusetur. Quia Reipublicæ officium est reddere unicuique suum, & ad hunc finem deciduntur lites. Si causa est criminalis, interest Reipublicæ, quod delicta non maneant impunita: *l. Si oper. cod. de penis l. congruit 23. ff. de offic. Praesid. Cabed. d. 70. n. 1. p. 1. Cardos. verbo delictum n. 9. & 10.* ergo tantum abest, quod Advocatus recusetur, quod immo potius videtur in his casibus, & in omnibus litibus magis idoneus ipse inimicus, sic enim non colludet cum altera parte, & fortius injuriam sui clientuli prosequetur, veritatem quem indagabit: ergo nullatenus

Cc ii recusari

recusari poterit ex quocumque capite, nullum enim maius esset inimicitia.

- Meren.* Deinde: Si Advocatus recusetur, certe amittit salarium, quo fortassis eget: ergo vel noster advocatus removendus non est, vel salarium est ipsi a recusante solvendum? Accedit, quod adictum de postulando est prohibitorum, ut jam diximus: qui cumque ergo non invenitur prohibitus, non valet inhiberi, ne advocet, ut docet *Valasc. conf. 124. n. 1. DD. ad textum ff. & cod. de postul.* ergo inimicus contra inimicum potest advocare. Præcipue si attendas ad dicta, quibus suppositis, licet ego prout inimicus ab accusato recuser, quicumque veniat Advocatus, inimicus reputabitur: & adde: *Meren. inter consil. crim. divisor. conf. 87. post n. 5. & conf. 88. n. 38. lib. 2.*

Ulterius: qui obesse non potest, recusari non valet: atqui Advocatus obesse non potest, nec velle obesse præsumitur, cum lis non ejus personam, neque interesse, aut patrimonium tangat, ut ponderat *Valasc. conf. 124. n. 1.* ergo Advocatus recusari non potest. Hoc argumento etiam utitur doctissimus *Guerreir. de recusat. lib. 2. cap. 19.* ubi agit de hac quæstione, & perite, ut folet in omni materia.

- Meren.* Deinde: in jure validum est argumentum de Advocato ad procuratorem, vel e contra: *Barbos. in loca tom. loc. 5. n. 10.* atqui procurator recusari non potest: ergo neque Advocatus poterit recusari. Addo, quod hæc opinio est de mente doctissimi Senatoris *Cabedi*, qui ita asserit *p. 1. d. 214. n. 9.* propter rationem a me supra adductam; inimicus enim non prohibetur contra inimicum, immo eo casu minus erit suspectus parti, cui patrocinatur, & melior animo (ut est hominum natura infirma) contra inimicum

patrocinabitur. Scio tamen, quod *idem Cabed. ubi supra n. 80.* refert, quendam Advocatum ab uno petitum, fuisse excusatum, eo quod affirmavit ipsum hominem esse sibi adversum, & inimicum. Ast in hoc valida notatur differentia, & diversum est postulare pro inimico, vel contra istum; in primo enim casu necessario pars veniet in domum Advocati ad informandum, & solvendum, quod iste non vellet, forsitan quia timet insidiis instructum, atque arte pelasga. In secundo eventu minimè hoc est necessarium. Accedit, quod invitus nemo tenetur conferre beneficium, at verò noster labor nimis adhuc nummis compensatus, ut poterit res inæstimabilis, semper est beneficium ex parte doctissimorum Heroum.

Tradit tamen *n. 10.* judicatum *6 idem Cabedo*, quod Advocatus non admittitur contra inimicum ad advocandum, & fuerat Advocatus Hieronymus Rodrigues; neque enim aliis, nisi meo nomine insignitus, ab utilitate sua removeretur, & præmio; eo quod pars inimicum ipsum vocavit. Sed certè timuit, & veneratus fuit literaturam, quamvis enim esset inimicus, si tamen foret pinguis Minervæ, pars certè illum contrarium, & patronum indoctum adversum appeteret: Senatus tamen sententia comprobari poterit etiam ex his, quæ tradit *Postius obs. 92. n. 10. Borrell. in summa decis. tom. 1. tit. 55. n. 98.*

Hæc pars, pro qua stat *Guerreiro*, ubi supra, probatur, & fortassis ipsum Senatus placitum; quia inimicus non admittitur ad accusandum inimicum in delictis, nisi suam, vel suorum injuriam vendicare intendat: *Ord. lib. 5. tit. 117. Phæb. 1. p. ar. 142, & 2. p. ar. 120. text. in cap. omnes c. cùm opporteat cap. qualiter de accusat, ubi Ordinarii: ergo Advocatus inimicus recusari potest.*

Hoc

Hoc tamen argumentum trivolum est, & inerme; quia pars accusans concurrit active, & potest moliri culpam testibus falsis, quod jura supponunt: at vero cum Advocatus inimicus advocat, supponimus partem, pro qua loquitur, esse in iudicio, & ipsa est, quæ agit, & quod sit hoc, vel illo Advocato, ferre nihil interest; & si ego non defendam, alter faciet, & fortasse melius. Adde, quod causæ non solum sunt criminales, sed etiam civiles: atqui inimicus non prohibetur contra inimicum movere quicunque causas civiles: ergo neque Advocatus inimicus in iitis advocare; & inane est ab illo speciali, & diverso casu arguere ad toto cœlo diversos, cum ex diversis non fiat illatio: *l. ultim. in fin. & ibi Bartol. ff. de calumni. Monach. decis. Bonon. 5. n. 17. & d. 6. n. 5.*

8 Probant etiam hanc partem; dicendo Advocatum posse gravare: ergo potest recusari. Sed non posse gravare jam a nobis satis probatum manet. Ast, quæso, dicunt illi, quid non molietur Advocatus contra suum inimicum? Citant *Fontanet. d. 30. n. 7.* & cum illo vadit *Guerreiro, ubi supra n. 6.* ubi etiam transcribit quædam carmina contra Advocatos, qui cum generaliter lites protrahant, maiori cum ratione hoc timeri potest in inimicis, Si Advocatus inimicus loquatur pro accusantibus non me movet istud argumentum, tunc enim penna dabit alas, & processus non curret, sed volabit; ad hoc ut ejus inimicus condemnetur; quod si sic acta exposcant, quid aliud vult Respublica? Si verò absolvatur ex meritis, quod præjudicium parti resultat? Cum vero alia possit esse causa, si noster Advocatus differat, ubi Judices, qui non coercent? Ad quid Magistratus, ad quid severæ condemnationes fuerunt inventæ? Ergo cum hæc faciant inimici, &

non inimici, Judex utroque casu moderetur justitiae virga. Rege eos, *Judex, in virga ferrea.*

Aliud argumentum excogitavit *Guerreiro, ubi supra n. 7.* Advocatus non potest cogi ut contra amicum patrocinetur: *l. 1. verbo ait ff. de postul. Xamar de officio Judicis, & Advocat. 2. p. q. 3. n. 62.* ergo similiiter inhibere potest, ne contra inimicum postulet. Hoc argumentum responsione non eget, neque concludit. Amicus est alter ego, & sic contra amicum postulare esset indecencia, magna crudelitas.

Illud amicitiae Sanctum, ac venerabile nomen

Re Tibi pro vili, sub pedibusque jacet?

At vero contra inimicum adicare diversum est, & nisi propria modestia repellat, in hoc scelus non considero, excepto casu, si odio Advocatus faciat, tunc enim quia peccat, bene desistet. Nullatenus si ad inimicitiam non attendat, sed suo feratur officio. Vel enim Advocatus potest considerari, quatenus homo particularis est, vel quatenus merè Advocatus, & persona publica. In isto secundo casu procul est inimicitia, neque ad ullum dicit determinatum respectum. In primo casu sic: ex honestate ergo a se ipso prohibeatur, aliter acerime semper negabo; quia ego possum advocare contra inimicum, non attendendo ad odium particulare, quod fortassis procul est a me; & in hoc non datur culpa, cum solum aspiciam Rem publicam delictis læsam, vel ad finem justæ meæ causæ attendarum.

Argumentatur etiam *Guerreiro*: *Advocatus potest esse unus ex testibus, per quem meam intentionem probare velim: ergo poterit repelli, ut testimonio ejusdem fruar.* Hoc argumentum nullam vim habet; immo falsum supponit. Advocatus ergo con-

contrarius bene potest a me peti testis, ut bene *cap. 34.* a nobis cum aliis dictum manet: cur ergo prohibetur, cum utrumque compati possit?

11 Quæres: utrum possit recusari Christianus novus *Advocatus*? Respondere poteris affirmative cum *Guerreiro*, ubi *supr. n. 14.* quia ad vocationis munus publicum est: *tx. in l. nemo cod. de postul. Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 369. n. 1. Narbona ad l. reg. lib. 4. tit. 1. Xamar de officio Judic. & Advocat. 2. p. q. 1. n. 1.* & officium *Advocati* est Dignitas, ut diximus, *l. laudabili cod. de Advocat. DD. ad textum ff. & cod. de postul.* At vero Christianus novus non debet, aut potest publica munera exercere, teste *Peg. ad Ord. lib. 1. tit. 35. §. 8. cap. 3. & aliis.* Et hæc resolutio maiorem vim habet, si sequaris inimicum non posse postulare contra inimicum, quia nulla gravior in jure præsumitur inimicitia, quam ea, quam adversus Christianos veterans habent Christiani novi: *Torre-cill. tom. 2. tract. 1. aa. 46. Coſt. de perſidia Jūdæorum, cap. 13. Finus Adrianus lib. 9. cap. 7.*

12 Ego ad hoc quæſitum dico primò me esse Christianum veterem; ita ut pro quocumque articulo fidei, & mysterio Passionis Domini mei vitam millies dare paratus sum, mea familia conſtat Christianis veterans, qui ſæpe publica munera exercuere fideles. Sed cunctorum Pater est Adam. Quot Christiani veteres damnabuntur? Et novi licet, multi salvi fient in Domino Iesu credentes.

13 Dico secundo, de facto posse dari *Advocatos* Christianos novos publica voce, & fama, & ſic cognitos, nulla habita tergiversatione, & de Judicibus jam olim valde locutus est Senator *Portugal p. 2. lib. 1. c. 6. n. 18.* ubi magno ore exclamat. Ego autem mihi volo Judicem virtute, & sapientia fulgentem; quibus

stantibus nihil ulterius requiritur: de hoc ego ſolum exclamarem, ſi aliqui imperitus fit, aut qui per respectum tertii mihi meum non reddat. Adde, quod fama plerumque falſa eſt, & ita experimur multoties in praefenti materia. Tu vero non recedas a communi, & Christianum novum a cathedra judicij excludere.

Sed dicunt multi apud Deum eſſe **14** odiosam personarum acceptionem; *cap. venerabiles de præbend. Oter. de officialib. Reipubl. cap. 3. num. 24. Franciscus Alvares Guerreiro in Specul. jur. Pontificii cap. 10. Escob. de puritate q. 3. §. 3. n. 86.* quare segregations inter conversos a gentilitate, & conversos a Judæis facientes vocat contemptores unitatis Ecclesiastice. *Barbos. lib. 3. vot. 93. n. 49. & n. 71.* dicit, ſacrorum Canonum iſtatutis contrariari, qui excludendos Christianos novos ab officiis, & beneficiis afferunt, & *n. 72.* affirmat cum plurimis hoc eſſe quaſi hæreticum.

Probatur: quia ex consiliorum **15** authoritatibus Neophyti, & noviter conversi ad præbendas, & dignitates admitti debent, *ex cap. 2. conf. Nicæni. cap. in novo dist. 21. cap. 7. cap. Si qui cap. 2. q. cap. eam de reſcriptis cap. cum deputati de Jūdæis Barbos. diſt. vot. 93.* Et addendum eſt supradictis, quod non omnes ex natione Hebraica concurrerunt ad mortem Domini nostri Iesu Christi: cur ergo ad omnes extendi debent leges, & anhoritates, ac contemptus? Antecedens probatur ex illo *Lucae, cap. 23. 37.* ibi Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, que plangebant, & lamentabantur eum. Et *48.* Qui simul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant que ſiebant, percutientes peccora ſua revertebantur, & etiam eod. *cap. v. 50.* Et ecce vir nomine Joseph, qui erat Decurio vir bonus, & justus:

justus hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathea civitate Iudeæ, qui expectabat & ipse Regnum Dei. Et si attente legamus Scripturas sacras, multi in JESUM crediderunt, & fuit ipsis magna fides; ergo omnes cur repellantur? Et facit; quia de jure Castellæ non excluduntur ab honoribus Christiani novi, sed invitantur: lib. 6. tit. 24. part. 7. in fin. l. 21. tit. 3. lib. 8. Ordinam. l. 9. tit. lib. 1. ordinam.

- 16 Accedit, quod nobiles habent prælationem ad officia, atqui Judæi iunt nobiliores, sanguine, & antiquitate familiarum, quibus (dempto peccato) nullæ aliae nobiliores existunt, & a Regum, potentissimorumque origine: ergo arceri non debent; ac ita docent *Escobar de puris.* 1. p. q. 2. n. 30. *Torrecill. tom. 1. tract. 2. conf. 7. Marques lib. 1. cap. 3. Oter. de offic. cap. 3. n. 25. Avendanh. de exequend. mandat. lib. 1. cap. 19. n. 20. Cutellus ad l. Sicul. c. 23. n. n. 73. *Peres in l. 9. tit. 1. lib. 1. Ordinam. Abulens. vulgo Tostado, in Levitic. cap. 19. q. 32.**
- Immo a Judæis descendit multa nobilitas in Germania, Gallia, & maxime Hispania, & hoc est constans, & tradit *Otal. de nobil.* c. 7. n. 14. Denique: multi sunt Christiani novi viri gravissimi, moribus, doctrina, fide, & integritate pollentes, ac perfidiam Judaicam valde abhorrentes, & in totum benemeriti, bono nomine, omne, & fama: ergo videtur inconveniens quod alienis decolorentur opprobriis, ac antiquorum parentum factis, criminibusque, doloque turpi; pæna enim tantum debet tenere, & ligare suos Authores: *l. sancimus cod. de pen.* neque pro alterius delicto possumus molestari, aut gravari ex testimonio *Ezech. c. 18.* relato in c. jam itaque 1. q. 4. & in c. *Si habes 24. q. 3. & in c. quæres de consecrat. dist. 4.* Adde, quod isti noviter conversi possunt facere aliquod mag-

num in regno factum; propter quod certe nobilitatem politicam consequuntur; & de largissimis honoribus eis concessis a Regibus Catholicis vide testem *Otalor. de nobilit.* 2.

p. c. 7. n. 13.

Ulterius; Neophiti ad fidem converti, & reducti ad nostram Orthodoxam, Romanamque doctrinam, ac Ecclesiam Catholicam, non pæna, sed præmio digni videntur: *l. fin. cod. de stat. l. ult. cod. de Fundatis, Escob. q. 3. §. 2. & 3.* Immo ita conveniens esse videtur: cum enim regios invitent præmia mores, & naturæ sit magna fragilitas, fortassis etiam ducti honore, & fraternitate magis moveantur Judæi ad appetendum Christianum nomen, aliæ recusantes discrimen, & differentiam, docentesque, quod cum sint jam ab errore remoti, a Dignitatibus prohibeantur; aut ita vituperentur. Et facit pietas Ecclesiæ, quæ omni conatu intendit reducere perditos, etiam applicando medicinas temporales more Medici solliciti; & se se accommodans fragilitati, ac temperamento peccatorum, cum ipse Jesus Dominus non veniret vocare justos, sed peccatores, & oves, quæ perierunt domus Israel: ulterius: qui est in via Dei, debet omni honore potiri; sed reductus ex corde est in via Dei, ut pote Christianus vetus: ergo non est removendus; & cui Dominus percit, parcant homines. Adde. Propter peccatorem conversum gaudet, & exultat integrum cælum, chorique Angelorum: ergo cui cælum sedem ostendunt, quare homines in Tribunalibus negabunt? Ulterius: odia, & pæna sunt restrigenda ex regulis vulgaribus: ergo parcendum est miseris hominibus. Præcipue si credamus aliquibus afferentibus, quod Judæi omnes, qui Christi Domini morti concesserunt, in obsidione Hyerosolimitana miserrime perierunt. Et si ita non fuit, infamia tamen

men non videtur habere locum ultra nepotes: *I. quisquis cod. ad I. Jul. Maiest. & facit Orat. lib. 5. tit. 6. §. 13.* ergo saitem debent exceptuari qui gradu remoto existunt.

18 Hæc sunt, & alia plura, quæ pro parte Christianorum novorum traduntur; aliaque dicere possem, quibus integrum volumen constituerem: sed ut verum fatetur, nimis suspecti sunt. Et ut dicitur *Osee 9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.* Ipsi Deum immedietum Regem habebant; & alium ingrati petiverunt; ut dicitur *I. Reg. 8. constitue nobis Regem, ut judicet nos.* Ideo omnia perdiderunt, ut dixit D. Ambrosius *Perdiderunt salutem, qui ejecerunt de suis finibus Salvatorem.* Usquequo ergo, perversi homines, claudicabitis in partes? Labiis honoratis, cor autem vestrum longe est a Domino, ut dixit Dominus *Math. 15. Hypocrite, bene prophetavit de vobis Isaías dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Judæi sunt, sicut Cain, cuius munus recusavit Dominus, ut *Genes. 4. Ad Cain autem, & ad munera ejus non respexit.* Hoc quia? Dicit melifluus S. Bernardus: *Quid miraris, o Cain, si non respicit ad te, qui ita divisus es in te? Si manum devotioni, quid animum das livori?* Non concilias Deum tibi discors tecum: non placas, sed peccas. Bene Isaías **29. vñ qui profundi estis corde, ut a domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera!**

19 Dico ego infames non posse esse Advocatos; cum ergo notati vulgo Sambenito sint infames, ab Advocatis jure merito excluduntur. Utinam semper ita esset! Christianos vero novos arcendos non dico, si sint boni nominis, & culpati non existant: utrum vero absolute sint admittendi ad dignitates, sicut juribus, &

DD. supra probavimus, non decidam, neque enim volo spernere fundamenta, aut de illis disputare, neque etiam a communi sensu, usque recedere. Et cum videam maiorem partem illos rejicientes, Religionum Sacrarum usum, & quod illos non admittant, quistantes viros, Heroasque impugnabit? Neque materia nostra unum, aut alterum postulat, sua meta, Advocatisque satis contenta.

Quapropter nihil in hac materia resolvens claudio caput; & aliorum placita profero. Solum dico, quod Christiani novi si virtutem habeant, Deumque colant, & ex corde Jesum, culpam non habent in factis progenitorum, & digni honoribus sunt; quia quos Deus admittit, nemo rejicere debet. Ulterius: si fama sit (fama mendax esse solet) aliquem descendere ex Judæo, cum tamen avi, & Patres boni nominis forent, & bene procederent, istum talēm (bonum etiam suppono) excludendum non censeo; immo magis laudandum nosco; quia Sanguinem, sequi ipsum vincit. Ad illud vero, quod Christiani novi presumuntur inimici Christianorum veterum, distinguo, sive explico. Si Christianus novus Judæus est in se, concedo, si non est, immo in Domino Jesu, qui pro nobis passus est, credit, tunc nego; quia sic Christianus est. Alio: Christianus novus ita dici potest; vel quia avi fuerunt conversi, vel quia ipse conversus fuit. Hoc secundo casu ne fidas ei; primo autem, si ejus virtus est nota, Christianum hominem mihi inimicum non reputo. Hoc satis sit; materia enim hæc est odiosa: ego autem neminem laedo, nec offendere intendo. Sciant cuncti tamen: Quoties sacram Scripturam lego, novumque testamentum, cum malus homo sim, adeo interius gaudeo, & in Domino consolor, ita miror verborum venustatem,

tem, & pulcherrimum senum, quod reprobantes istud novum testamentum Judeos mille peenis dignos reputem. Quis enim alias dicere posset quæ Christus dicit, aut facere quæ ille fecit? Negatis facta? Quomodo ergo negatis Sancta verba, quæ legitis? Ex opere cognoscitur author: Quis ergo illius Scripturæ author, nisi Deus? Quis tanta scientia instruclus tantum opus facere, & componere posset? Overborum tenor, & suavitas! O dulcis sensus! Quid vis dicam? Biblia ex se, novumque præsertim testamentum immittit Sanctitatis odorem; ad ardorem Domini impellit, latificat cor, aperit cælorum regnum, dat animum ad virtutem, Deumque apercè representat: legite, iterum perlegite, & ita spero vobis grande emolumentum, mihiique, & quod mecum ita sentiatis.

SUMMARIUM CAP. L.

- 1 Tortura omnibus personis inferri potest suis casibus, nisi detur specialis prohibitio, aut fruantur privilegio.
- 2 Limitatur in Advocatis, & Doctoribus, qui sicut milites torqueri non debent: Privilegia militum competunt Advocatis comprehensivè, & ex rationis identitate: nobilissimi reputantur Advocati, & agitur de illorum splendore
- 3 Recensentur multi DD. ita affirmantes, & dilucidatur hæc materia.
- 4 Intelligitur conclusio non solum de Doctoribus actu legentibus, sed de Advocatis certi collegii.
- 5 Idem affirmatur militare post depositum Advocationis officium: Extenditur resolutio ad Advocatos imperitos, ne sci-
- licet dignitas, aut Collegium debone sitetur.
- 6 Dantur casus speciales, in quibus nobilitas non valet ad evitandam torturam, & referuntur qui dicunt tunc Advocatos, aut Doctores debere degredari ab officio, ac exvi dignitate; & resolvitur hoc in usu non esse.
- 7 Ut tamen torqueantur Advocati, debent dari ampla indicia. Praesumptio magna est pro Advocatis, ac delicti exclusiva.
- 8 Si delinquat Advocatus, officio Doctoratus, & Advocationis privilegio non gaudet. Debet tamen prius constare se deliquisse; & tunc gravissime castigandus.
- 9 Recensentur aliqua delicta, in quibus non possunt evitare torturam.
- 10 Referuntur DD; qui nobis negant absolutè privilegium hoc casu torture.
- 11 Contrarium est verum, & reprobatur contraria si qua fuerit consuetudo; ac ut invalida exterminatur. Est privilegium ordini concessum.
- 12 Agitur de Ordinat lib. 5. tit. 134. que hoc casu nobis peculiaris est.
- 13 Ponderatio magna est Judici necessaria in hac materia. Debent procedere indicia ante torturam. Non potest ad illam dari partis facultas, vel oblatione: Potestas torquendi dicitur meri imperii; & ideo privatorum pactis nequit etiam concedi.
- 14 De penis Judicis indebite torquentis. Potest pars resistere, si indebite procedat. Tortura continet damnum irreparabile.
- 15 Advocatus ante torturam audi-
Dd ri

ri debet pro suo clientulo; & etiam in crimen heresis.

16 *Multo fortius in cæteris delictis: Tortura est periculis plena. Ab illa datur appellatio. Judex ante inhibitionem debet supersedere. Agitur obiter de practica Lusitana in materia inhibitionis respectu interlocutio riae, & atque casus figurantur.*

C A P U T L.

Utrum Advocati torqueri possint, aut Doctores?

Gandim. 1 *Tortura omnibus personis valet inferri, nisi sint exceptæ, quapropter in proposita quæstione regula est sumenda affirmativa ex traditis per Angel. de malefic in verbo quod fama public. præced. n. 102. Idem tradidere: Gandim. in tit. de quæst; & torment. n. 7. Fuzzar in tract. de indic. & tortur. n. 8. Brun. de indic. in 2. p. q. 4. n. 1. & 2. Carreris. Crr. in pract. in 2. tractat. de in dec. & tortur. § circa tertium n. 1. Foller in pract. crim. verbo & si confitebuntur in 2. p. 3. partis principalis n. 77. Jodoc. in pract. criminal. c. 41. rubr. qui a tort n. 1.*

Folleris. 2 *Alt hæc generalis regula primo, & principaliter limitatur in nostris Advocatis, & Doctoribus, quia constans est eos minime torqueri posse; & hoc, argumento textus in l. milit. cod. de quæst.; si enim ibi dicitur: Milites nec tormentis, nec plebeiorum pænis causis criminalibus subjungi concedimus, idem de nobis asserendum est; valet namque argumentum a militia armata ad togatam, & ita in d. l. affirmare Cyn; & Bartol. Tenet Put. in tract. de Syndic. verbo Doctor cap. 2. incip. an Doctor, seu Advocatus? n. 1. & n. 3. in prio, n. 6.*

& seqq. ubi optime confirmando resolvit militum privilegia extendi ad DD. secundum Cyn; & Salicet. in l. 1. cod. de jur; & fact. ignorant. Ego dico rigorose nobis compete re ex rationis identitate, & vera inclusione; sicut enim utilitas publica rigorose loquendo in militibus vertatur: l. 1. & fin. de testam milit; ita etiam in Advocatis, & DD. consilii. l. 1. & ibi Glos cod. de stud. lib; Doctores enim quasi radii Solis appellantur: cap. si quis 1. q. 7. & de hoc jam dictum manet; & velut luminaria splendere dicuntur: cap. 2. de Rel; & ven. sanct; & nobilissimi reputantur per Bald. in l. providend; & per memoratum textum cod. de postul. Ripa in l. centurio in prio n. 15. ff. de vulgar; & pupil. Et Doctoratus est dignitas, ut diximus, & Advocati in dignitate constituti: Bartol. in l. fin. cod. de judic. Abbas, & Decius in cap. proposuisti in fin. extra dr probat.

Idcirco sicut militibus propter eorum dignitatem conceditur a jure privilegium, ne possint torqueri, ita etiam nec poterunt nostri torqueri, cum non minus sint digni, & nobiles, quam illi: Ita Bartol in l. 1. cod. de advoc. divers. jud; & in l. 4. cod. ad 1. Jul. Majest. Alex. in l. centurio Galliana n. 25. Rip. n. 14. ff. de vulg. & pupil. Marsil in l. ex libro n. 4. ff. de quæst. Cephal. cons. 164. n. 8. lib. 2. ubi ampliat, licet Advocatus, aut Doctor ut testes vacillaverunt: Clar. in pract. §. fin. q. 64. 17. quæro an DD. ubi non solum teitatur de commun, sed etiam ita de consuetudine apud eum Mediolani servari: Bonacoff. in commun opin. p. 1. fol. 53. col. 4. uso. Doctores non debent torque r. Alciat resp. 19. in fin. lib. 6. Benius in tract. de privileg. Juris conf.

conf. privileg. 39. n. 1. Belvis. in pract. crim. in rubr. de quest n. 17. Gigas de criminis læsa Maiest. lib. 2. q. 27. n. 1. Duen. reg. 190. in 3. ampliat. Roland. conf. 31. n. 3. & seq. vol. 3. Lenauderinus in tract. de privilegiis DD. 2. p. in princ. Cason in tract. de torment. c. 10. rubr. torqueri quæ personæ possint, & quæ non, n. 14.

4 Hæc, quæ dicta sunt, non solum intelliguntur de DD. actu legentibus, vel Advocatis certi Collégii, seu ordinis, ut in his urbis clarissimis sunt Advocati curiales, sed etiam procedunt respectu DD. actu non legentium, ac Advocatorum non collegiaturum, quos pariter nec torqueri de jure posse affirmavit Marſil in praet. §. expedita n. 37. quem sequitur Benius in tract. de privileg. Jurif. cons; privil. 39 n. 6. v. extenditur quinto Et quidem omnes DD. supra memorati loquuntur absolute, & sine exceptione, & præfertim ita tenet allegatus Puteus.

5 Immó etiam, deposito Advocationis officio, in honorem pristinæ dignitatis fruimur tali privilegio, juxta notata per Bartol. in l. 1. cod. de advocat. divers. judic. Tiraquel. in tract. cessant. caus limit. 15. n. 8. Benius d. privileg. 39. n. 6. cod. v. extenditur 50. Carrer. in tract in 2. tracta. de indic. & tort §. circa tertium, quæ personæ torqueri possint n. 21. Extenditur etiam hoc privilegium ad Advocatos imperitos, ne Doctoratus dignitas de honestetur, cæterisque ejusdem ordinis magna injuria inferatur, ut post Ripam, & Alciatum, quos allegat, tradit, & perite resolvit idem Benius d. privileg. 39. n. 7. v. extenditur 6. Brun. de cession. honor; quem citat Farinac. tom. I. tit. 5. q. 41. n. 42. de indic; & tortur. Contra hanc

tamen ampliationem acriter insurgit Jas; & etiam Gram; & alii, quos refert n. 43. Sarai in addit. ad Mathef. Sing. 59. Sed nec ideo recedendum est a communi; neque periti culpam habent in eo, quod Judices admittant, si forte ita faciant, Advocatos ignavos, inutiles, & fatuos, aut quod Universitates eos approbent; unde officio, & Collegio non potest resultare infamia; homines enim si videant torqueri aliquem, parviperent officium, & non attendent ad distinctionem peritiæ, vel imperitiæ, nec est facile in angustiis de hoc cognoscere, & Advocatus imperitus certe est Advocatus, officium habens, gradum, & honorem; vel bene, vel male.

Sunt quia vero casus speciales, in quibus non poterunt nobilissimi gaudere tali privilegio, ideo si aliquando contingat Advocatos, & DD. torqueri, prius debent exu doctorali dignitate, & nobili officio; & degradari, ut bene Marſil. Sing. 556. per tex in l. si exempl. cod de malefic. & mathemat. Carr. in pract. in 2. tract. de indic; & tortur. §. circa tertium n. 30. Cyrrill. in summa crim. rubr. 29. de quest. §. 2. post. 1. col. 1. Hoc tamen adhuc non vidimus, neque in usu est; neque nostra lex regia tale disponit.

Ad hoc autem, ut in illis casibus possit torqueri, debent concurrere permagna indicia, legitima, & sufficientia, & debet esse plene Advocatus, aut Doctor dissimatus de delicto, de quo inquiritur: Eugen. conf. 63. n. 89. Et hoc propter magnam præsumptionem, quam habent DD. & Advocati delicti sane exclusivam: l. 2 §. Servius de regul. jur. 1. is cui bonis, ubi Ripa ff. de verbor. obligat. Abbas, & Imol in c in

nostra de procurat. Benius de pri-
vileg. Jurisconsultorum privil. 40.
n. 2. Quia quidem praelumptio me-
rito operatur, ut contra illos de-
beant esse indicia urgentiora, &
fortiora; & ista est veritas, a qua
recedere in practica esset teme-
rarium, & contra omnem bonam
juris, & suavem æquitatis ratio-
nen; neque aliud speralur a Ju-
dicibus integerrimis.

8 Si tamen officio Doctoratus Reus es, poteris torqueri, neque ulla prærogativa poteris frui argumen-
to *tex. in cap. fin. de immun. eccles. auxil. in fin. ff. de min.*; quibus juribus aperte probatur illa Regula, quod frustra legis auxilium implorat is, qui in legem ipsam deliquit: frustra ergo Doctor, & Advocatus implorant officium, & Doctoratum, si in ipsis turpiter, ac ignominiose, & inverecuade erraverunt honoris obliti, boneque famæ, ita crudeles, & indigni. Hoc tamen intelligendum est, si immediate delinquat contra officium; si enim ita conclusio itaret, sicut etiam, si Senator (quod Deus non sinat) in hoc peccet, privilegio certe Senatorio est illico privatus. Ait contra hanc limitationem multi, gravesque DD. stant, & præcipue *Vulpel. conf. 141. in fin. Benius de privileg. jurisc. p. 39. n. 15.* adsurduum enim illis videtur quod quis privetur privilegio alicujus officii propter delictum commissum in eo, ante quam constet eum sic in officio deliquerisse: atqui quando agitur de inferenda tortura nondum constat torquendum deliquerisse; quia si constaret, non torqueretur: ergo ex sola imputatione, quod Doctor, aut Advocatus deliquerit, non est privandus unus, aut alter suo privilegio. Ego sane ita consulem, Sed si Advocatus delinquat,

in officio præterim, gravissime castigandum dicerem ad *tex. in cap. cum quidam de jurejur. c. nulli fas 25. q. 1. c. præcipue, & ibi glos. 11. q. 3.* & facit illud memoratum Poetæ.

Omne animi vitium tanto con-
spectius in se

Crimen habet, quanto maior qui
peccas habetur.

Et diversa sunt motiva, ad illud.

Oderunt peccare boni virtutis
amore,

Oderunt peccare mali formidine
pænae.

Si autem curiose a me quæras. Quinam sint casus in quibus Advocati possint torqueri sine respectu ad privilegium? Dico exceptuari jure merito enormia delicta, ut in crimen heres, læsa Majestatis, privati carceris; & falsi: *Decian. conf. q. 3. n. 135. Eugen. conf. 63. n. 89. Cephal. conf. 164. n. 8. Bajard. in addit. ad Clar. q. 64. n. 62.* & ex delictis gravibus, & capitalibus adeo torquentur, & sic ubique obser-
vatur; & est circumscripta consuetudo.

Plurimi DD. dicunt, Advocatos non frui memorato privilegio, 10 & dicunt absolute non servari, & quod Doctores semper torquentur. Nominare certe eos recusarem, nisi hoc tractatus ille meus postularet: Est *Pignolat. in addit. ad Roman. Sing. 494. Canar. in tract. de quest. 4. mem. 6. n. 3. Sarai in add. ad Matthes. Sing. 59. Galii.*

Bene tamen hanc consuetudinem invalidam, & minime servandam dixit doctissimus *Bologni in addit. ad Guid. in tract. de indic. & tortur. n. 17. in fin. Put. in tract. de Syndicat. verbo Doctor cap. 2. n. 3. in fin. Rol. conf. 31. n. 3. vol. 3. Eugen. conf. 63. n. 88. Rimini.*

*Rimini. conf. 290. n. 18. lib. 3.
Cartar. in sua pract. inter. reor.
lib. 4. c. 1. n. 46. Ghirl. de quæst.
& tortur. q. 6. n. 3. Brun. de ceſſ.
bonor. in 11. q. 4. q. princ. n. 11.
v. qua ratione: Bos. tit. de indic.
n. 116. ad finem, ubi ait, quod
licet alijs viderit ſub. Christianif-
fimo Rege quemdam Neapolita-
num torqueri, & fūſigari, id ta-
men evenit, quia revera non conſ-
tabat de qualitate Doctoratus. Non
memoro alios gravissimos viros ſu-
pradicatum afferentes; eſt hoc enim
privilegium commune omnibus,
& ordini qua toti confeſſum, ar-
bitriusque bonis debitum.*

12 Lusitani habemus expressam *Ord.*
lib. 5. tit. 134. § 3. ibi.

*Eos Fidalgos, Cavalleiros, Dou-
tores em Canones, ou em Leys,
ou Medicina feitos em univerſi-
dade por exame, Juizes, e Ve-
reaores de alg ma Cidade, naõ
ſerao metidos a tormento, mas
em lugar delle lhes ſera dada
outra pena, que ſja em arbi-
trio do fulgador.*

E logo diſtingue, e exceptua.

*Salvo em crime de leza Mages-
tade, aleivosia, falsidade, moe-
da falsa, testemunho faljo, fei-
tiçaria; Sodomia, alcovitaria,
furto, porque ſegundo direito
nestes caſos naõ gozao do pri-
vilegio de fidalgaria, cavalleria,
ou Doutorado, mas ſerao ator-
mentados, e punidos, como cada
hum outro do povo.*

Hæc Ordinatio apud nos intacta
tervari debet; & ſecundum illam
res eſt expedienda, & vide ad ip-
ſam ſcribentem in remiſſionibus
noſtrum Barboſam. Utinam nul-
lus Advocatus umquam delinquat,
ſed ſit memor ſui officii, mune-
ris, & obligationis, quod ſpera-
mus! Quia tamen a falsis testimo-
niis nulla innocentia libera eſt,

hœc in illorum gratiam bono ani-
mo ſcripſimus, licet pro dignitate
materiæ plura dare poſſem; quæ
brevitatis cauſa ommito.

Non ommittam tamen dicere,
quod in hac materia torturæ de-
bet Judex nimis vigilare, neque
enim poſteſt torquere, non præ-
cedentibus legitimiſis indiciis: *Car-
rer. in pract. in. 2. tract. de indic.
& tortur. §. circa quartum n. 14.*
Neque ipia pars ad hoc poſteſt
dare Judici facultatem; quia ne-
mo eit dominus membrorum fuo-
rum: *I. liber homo ff. ad I. Aquil.
Pulchre Catephat. conf. 109. n. 5.
lib. 1. Qui propter non valet ob-
latio rei de ſubjicio ſe tortu-
ræ, & multo minus, ſi reus fit
Advocatus, cujuſ ſola oblatio in
iſta re meo videri efficeret eum
indignum. Ratio generaliter eſſe
ſolet; quia poſteſtas torquendi di-
citur meri imperii: at vero ea,
quæ ſunt meri imperii non poſſant
paetiſ privatorum concedi: I. de-
fensores cod. de defensor. civit.
Majcard. de probat. lib. 3. conclus.
1129. n. 8. Clar. in pract. q. 63.
v. ſed. quero.*

Judex ergo, qui indebite ali-
quem torquet, atque non præce-
dentibus illis legitimiſis indiciis, te-
netur in Syndicatu, & puniendus
eſt; præcipue ſi Advocatum in hac
materia offendit; & naſcitur in-
juria atrocissima. Neque enim ge-
neraliter abſoluta ſævitia admitti-
tur; aſt imo potius de jure gra-
viter prohibetur: *I. ſi. constant. §.
ſi. marit. ff. ſolut. matrim:* ergo
multo fortius prohibita eſt tortu-
ra; quod enim prohibitum, &
punibile eſt in priyatis, multo ma-
gis abſonum, & illicitum reputa-
tur in Judicibus, ac Magistrati-
bus, qui ſub ficto colore justitiae
delinquunt: *I. nec. Magistrat. ff.
de injur. & arguitur bene a potef-
tate*

tate dominica ad Judicis in præfenti casu potestatem: *i. potestat. ff. de verbis. significat.* Guid de Suzzar de indic. n. 87. in fin. & contra Judices indebite torquentes insultant DD. ut est Bursat. conf. 35. n. 3. vol. 1. Bartol. in *l. questionis modum*, & in *l. fin. ff. de q. a. t.* & in *l. aut. damna* § nec *jura ff. de pen.* Judices sine indicis, ac indebite reos torquentes appellantur canes, & brutis animalibus comparantur, neque ullus discrepat Doctorum, quod pœna affici debet. Qualis pœna sit? Dico esse capit is: *i. i. §. præterea ff. ad l. Cornel. de sic.*; & hoc, nulla habita differentia, & quin sit necessarium investigare cuius conditionis hominem tormentis necaret: *i. 4. in princ. ff. eod.* Conclusio enim nostra procedit, si sequatur mors: Immo Judici in tali casu poterunt rei resistere, si possint; quia tortura est damnum irreparabile: *Mars. in l. i. in prio n. 33. ff. de quæst.*

Umberto locat.
15 Quæres hic; Utrum Advocatus generanter beat audiri pro suo clientulo ante torturam, & utrum hoc procedat etiam, si reus inquisitus sit ob hæresis crimen? Et affirmative resolvendum est; quia Advocatus semper admittitur in disputatione, utrum tortura sit inferenda, vel non? Ita Umbert. locat. in judic. inquisitor. in verbo tortura n. 3. v. deinde dat sibi copiam capiulorum, juncto v. & fabricato processu, & n. 7. ac n. 32. Reppor. Inquisit. in verbo, *Advocatus*, ubi admittendum censet, & ibi Quintilian. Mandos. in addit. lit. D. Simanc. catholic. Inolit. tit. 65. rubric. de torment. n. 16. Franciscus Pagn. n addit. ad Eyneric. in direct. Inquisit. p. 2 commentarior. i/o. in fin. v. postremo videndum est fol.

648. col. 2. Guindalvi in tract. de heret. q. 13. n. 8. ubi testatur ita consuetudine servari.

In cæteris ergo delictis multo fortius ante torturam noster debet audi i Advocatus, qui pro suis partibus allegabit, ponderando indicia, famam, & conditio nem ipsarum, ne scilicet tortura ipsis inferatur; quia in materia adeo gravi, & periculosa justæ sunt amplectendæ defensiones; & a torturæ decreto datur appellatio: *i. 2. cod. de appellat. recip. Suzzar in tract. de indic. & tortura n. 63. Gandin. iu rubr. de quæst. & torment. n. 23. in medio. Marc. d. 60. Clar. in tract. §. fin. q. 64. v. sed quid a gendum.* Et in hoc casu propter materiæ gravitatem, ac damnum irreparabile Judex ante inhibitio nem debet supersedere: ut generaliter de damnis irreparabilibus loquens testatur Lancellot; quem sequitur Farinac. in prax. tom. 1. tit. 5. q. 38. n. 12. licet alias interposito recursu ab interlocutoria non maneant ligatae Judicis manus: *Guid Pap. d. 436. n. 9. Lancellot. in tract. de attentat. cap. 12. limit. i. n. 1. sequentibusque.* Apud nos Lusitanos, quoties ab interlocutoria Judicis recurritur per petitionem gravaminum ad Senatum Suplicationis, posito vulgo *Acordaõ*, & presentatur cum illo petitio, ac Scribæ datur, vel cum die Rectoris; datur inhibitio: & si Judex videt damnum irreparabile, etiam sine istis ligat manus; & sic solum juste proceditur, unicuique redditur suum, ac partis indemnati optime consilio bono boni Judices favent. Quid enim? Judex torturam vult inferre: ab isto decreto ecce ego Advocatus recurro Judex tradere mandat Titio pecuniam. Iterum hoc casu recurro. Quid interest mihi

6 mihi , si victoriam reportem , quando jam est tormentum illatum , vel pecunia tradita ? Similiter , e converso Judex ad alicujus partis petitionem sequestrum fieri mandat , quando adeat quis de fuga suspectus , fugamque intendit , ac ad id accingitur ; & vg. futura nocte parat occultare bona. Recurrit hic secundus a Judice , gravamen interponit ad Prætorem. Dixi ob periculum deberre semper facere sequestrum. Noluit tamen hic Judex , qui valde mercatori amicus erat lagaci. O dolor ! O mala protervia ! Fugit debitor , quem adhuc hodie speramus. Videant boni Judices , sciantque jus fundari in ratione. Nullum in hoc casu facinus erat ad sequestrum properare. Hoc obiter.

SUMMARIUM CAPITIS LI.

- 1 *Jurisconsulti ; legesque multa a Philosophis sumpseruntur , ut multis exemplis hic demonstratur , & confirmatur.*
- 2 *Ex Apologis etiam Æsopi.*
- 3 *Reprobantur qui sunt a re alieno gravati , solvendoq. sunt ; & reprehenduntur Advocati pro istis patrocinantes.*
- 4 *Advocatus debet esse Philosophus : Philosophia est moraliter necessaria ad Jus comparandum : Est juris Palinurus.*
- 5 *Idem a fortiori demonstratur : phisice illam necessariam alii clamant : Et ponuntur fundamenta.*
- 6 *Laudatur R. P. Josephus Troianus ex Congregatione Oratorii.*
- 7 *Philosophias naturales , & Metaphysicam valde ad jus conducentes veneramus.*

C A P U T L I.

Utrum Advocatus debeat esse Philosophus ? Aliter : Utrum Philosophia , aut saltē illius pars logica sit præcisa ad jus acquirendum ?

i
ADVERTENDUM EST PRIMO UT CERTUM , nostros Jurisconsultos a Philosophis multa sumptuisse. Demosthenis sententia , & Chrysippi recitatur in l. 2. ff. de leg. & in l. aut. facta §. qualitate ff. de pon. Theophrasti in l. 3. & l. b. eod. tit. Xenophontis in l. si cal. 233 §. ultim. ff. de verbis. significat. Ciceronis in l. Cicero de pæn. Ulpianus dixit in l. absentem eodem tit de pen utilius esse absolvi nocentem , quam innocentem condemnari , quod prius Cicero protulerat. Hippocrates citatur in l. septimo mense de statu hominum. Illud , quod Justinianus ait in §. his igitur de just. & jure ; primo levi , ac simplici viā incendum , deinde diligentissima , atque exactissima interpretatione singula esse tradenda , a Philosopho fuit deductum. Quod Caius scribit , corporalia esse quæ tanguntur , est a Philosophis derivatum : Tangere , nec tangi , nisi corpus , nulla potest res. Quod Ulpianus scribit , jus esse artem boni , & aequi , Aristotelis est : similiter quod tradit Modestinus , legis virtutem esse imperare , vetare , permittere , punire , ipsius Philosophia est. Plura esse negotia , quam vocabula autem Ulpianus , & dixerat Aristoteles. Actionem dolii tempore finiri , sed non exceptionem Paulus scribit : l. pure in fin. de exceptione dolii ; quia actor in potestate habet , quando utatur suo jure , sed non reus. Hæc autem sunt verba Aristotelis in Problem. sect. 29. p. 12. quæ Paulus repetit in l. qui in alterius de

de regulis juris. Pecuniam omnia dici bene dixit Aristoteles, & post illum noster Ulpianus in. l. pecun. de verbis significat. In paribus judicium suffragius reum esse absolvendum docuit Aristoteles, a quo apud nos ita observatur. Insignis locus Callistrati est in l. 2. de nudin. Platonis sententia recitatur in l. 1. §. item sciendum ff. de aqua pluvia arcend: Principem esse legem animatam in terris, quod passim nostri clamant, ex Philone haustum est.

2 Immo, & quod magis est, ex Apologis etiam Aetopi aliqua mutuantur Jurisconsulti: Leoninam enim societatem Cassius Longinus appellat ejus socii, qui totum lucrum suum esse pactus erat, in l. si non fuerint §. ultim. ff. pro socio, quodquidem ex ea Aetopi fabula delumptum videtur, qua leo totam societatis, quam cum asino, & vulpe contraxerat, praedam sibi vendicabat. Sic vespertilio secundum veriorem lectionem servus vocatur in l. si ita quis stipulanti ff. de evict. qui conturbatis domini rationibus ob æs alienum latitat: quod dictum est ab Apologo; quo vespertilio, facto naufragio, ob metum creditorum non nisi nocte in publicum prodire audebat. Certe tamen illo tempore hominibus debitoribus verecundia erat. Nescio an ita hodie? Licet enim ære gravati,

At domus interior formoso splendida luxu

Infruitur, mediisque parant convivia tectis:

Arte laboratae vestes, ostroque superbo:

Ingens argentum mensis.

3 Nec solum hoc: spectabiles per vias incedunt, quasi sit honos esse ære gravatus. Si pauperes petunt, quod sudore suo meruere filii Adam, non recordatur frater, pro-

trahit de die in diem: o tempora! Si litem intentat, quantos illi Domini pro se habent Advocatos? Non sunt iti boni Philosophi, & rationis amantes? Philosophi plurimi naturali solo lumine praediti veritatem amavare, ipsisque iustitia in intimo corde. Vos, Advocati Christiani, per mille ambages defenditis potentes, pauperes vexatis? Vestris moris, & dilationibus æris estis domini alieni. Misericordia, Miseremini!

Nunc ad questionem: Jam ergo ex dictis conitat, fatisque, & aperite probatur, nostrum Advocatum Philosophiam praeditum alios superare; vel quia melius leges intelligat, saltem illas, quæ a Philosophis sunt desumptæ, vel quia facilitiori Minerva, & felicitati juris studium consequetur. Et pro hac parte stare non recusabunt omnes, qui logicam moraliter, & ad melius esse necessariam ad alias scientias comparandas autuant, nemine discrepante. Quia attenta imbecillitate intellectus humani, difficultateque materialium occurrente, cum unaquaque facultate sint plurima obscura factis, nisi logica te doceat, magnis es in periculis. Dubitatur saepe de jure, & non semel, utrum ista, vel illa conclusio sit sophistica? num recte ex præmissis deducatur, quæ omnia tibi soli derelictus, soloque nativo lumine imbutus, non nisi ægerrime, improboque cum labore discernere poteris: facilimo autem negotio hæc omnia, logica prælucente, poteris demonstrare. Et confirmatur exemplo aliarum artium etiam mechanicarum, ut est procul dubio pictura; licet enim, sola regulante phantasia, quis possit tingere penicillos, non tamen dubitatur, quominus præceptis inbutus, citra periculum errandi tunc bene

bene picturam absolvat. Quia est allegatio juris, nisi concludens Syllogismus? Logica ergo imbutus melius absolvet allegationes, brevius, & summa claritate, extenuata confusione, quæ vulgaris est in multis Advocatis, qui generalibus proloquiis pugnantes casus particulares distinguere mecum ignorant. Cavete ab illis; qui puppim, & proram in eis constituant. *Fachin. controv. lib. 9. c. 6. fol. mibi 307.* Sed Fachineus fuit peritissimus Philosophus, ut patet ex libris suis, ideo pericula cognoscebat.

*Philosophia est juris Palinurus.
Talia dicta dabat, clavumque
affixus, & hærens
Nusquam amittebat.*

Sic nostri faciunt Aduocati.

Si vero cum alicuius sapientissimis viris Logicam simpliciter necessariam ad alias scientias affimes, multo fortius stat nostra conclusio, quæ desiderat Advocatos Philosophia insignes. Quod vero Logica phisice sit necessaria probari potest: ut quis perfectam habeat scientiam debet scire se scire (aliquando debet scire se nescire, & hæc est mea scientia) juxta Philosophum *10. poster. cap. 2. tit. 5.* sed nemo id præstare poterit, nisi qui Logica sit instructus: ergo. Probatur minor; quia ad Logicam spectat judicare de bonitate consequentiarum, num scilicet ex veris præmissis recte ducatur? Secundo sic: Plures dantur Syllogismi indirecti, quorum veritas constare nequibit, nisi tandem ad aliquem ex directis reducantur; sed sola Logica docet has facere reductiones: ergo ad alias scientias est simpliciter necessaria, ac ad nostrum Jus. Si dubitas, Advocate, veni ad me, & demonstrabo tibi. Tertio sic: Ad actum voluntatis bonum requiritur judicium

prudentiale reflexum de bonitate ipsius actus: ergo similiter ad actum intellectus scientificum requiritur, judicium logicale reflexum de veritate ipsius talis actus.

Nostra non intereat discernere, 6
Quis justius induat arma? Sequor ego opinionem Magistri mei collendissimi R. P. Josephi Troiani ex Clarissima Congregatione Oratorii, viri hoc saeculo famosi, quo Præside olim descendit in arenam, & totam Logicam defendit. Quid ego? Iple Dux nimis potens, qui clipeo impenetrabili adversos sustinuit ictus, vere me liberavit; neque enim sine Hectore possem, ast certe alicujus magna dextra caderem. Pons erat in conclusione? Quid? Volare docuit.

Pons vale, non egeo ponte, volare scio.

Eset? Pontem auderet sed velere nullus: isto Præside,

*arcum intendebat Apollo
Desuper, omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant
terga Sabæi.*

Certe tamen formam Syllogisticam, & concludendi modos, omnes reductiones, Præceptor Amplissime, explanasti; deque omni Logica late egitti. Gratias plurimas tibi ago ob doctrinam. Et licet Magisterium tuum non sufficeret utilitati meæ; ideo fuit, quia mihi natura, vel ingenii imbecillitas illud negavit, quod, quod recta ratio postulabat, mensque tua. In me solitos non produxi efficiens, quos in aliis bonis Discipulis demonstrasti. Quid? Posse etiam de lapide hominem facere? Hoc Philosophia non potest. Nilominus post pugnam multis etiam præmiis me condecorasti.

*Præmia, credo, mihi fuerant
solatia vieti.*

Sed tu servanti revocatum a morte
Ee Da-

Dareta. Fateor autem, te Duce, non in istis me fuisse periculis, neque enim sineres eximius Magister, Lusitaniæ decus, Congregationis splendor, virtutis exemplar. Ad te laudandum, meus hoc est parvum volumen.

*Et si, quæ subeunt, tecum, liber, omnia ferres,
Sarcina laturo grata futurus eras.*

Logicam esse necessariam morali-
ter ad alias scientias comparan-
das ex cathedra me docuisti: de
Logica absolute loquebaris: Logi-
cam vero tuam, & suave magis-
terium mihi simpliciter necessa-
rium de præsenti affirmo; quo
sine in hac juris arte proficere
non possem, aut nomen habere.
Si aliqua aura fruor, muneris
omne tui est.

*Quo pede cepisti, sic bene sem-
per eas.*

7 Philosophias vero naturales val-
de præcisas nostris Advocatis cen-
seo, de cœlo enim debent nimis
cogitare; de vita, & morte; de
juventute, & senectute: de lon-
giudine, & brevitate vitæ; de
defectione solis in tempore mor-
tis Christi: de anima rationali:
sic bene vivent, paceque fruen-
tur; suumque dabunt unicuique:
Felix ille, cuius cogitatio in Deo
est. Hic bonus Philosophus, dig-
nusque Jurista. Accipite ergo ani-
mis, atque hæc mea figite dicta.
Neque de Metaphysica vel ideo
dubitetis. Ejusdem etiam sunt. *Dici de omni. Dici de nullo. Quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se.* Ab his omnis vis Syllogistica
dependet; quâ arguimus etiam in
materia juris.

SUMMARIUM CAITIS. LII.

- 1 *Silius Italicus laudatur Poeta, & Advocatus: Clarissimi ex va-
tibus fuere Oratores, & Ad-
vocati.*
- 2 *Argumenta contra Aavocatum
Poetam: Poesi tempus teritur :
Poetæ sunt mendaces.*
- 3 *Poesis conduceat ad jus : Poeta-
rum plurimæ, ac graves sunt
sententiæ : Laudantur silius,
Virgilius, & specialiter Horati-
us sententiarnm mare: Oviaius,
Claudianus, & alii, ac Lusita-
nus Macedo.*
- 4 *Plurimi alii adducuntur in me-
dium, & Venerabilis Ancheta.*
- 5 *Celebrantur Divi Hieronymus,
& Augustinus, ac alii Divi :
Poesi intelliguntur loca obscura
Sacra paginæ: Vide, & nota.*
- 6 *De eodem agitur.*
- 7 *Julianus prohibuit Christianos
a lectione suorum vatum, ne fi-
ctos Deos contemnerent: Poeta-
rum lectio certe conduceat ad
comtemptum gentilitatis, & la-
te probatur.*
- 8 *Utilem esse Poetarum lectionem
contenditur: Advocati possunt al-
legare Poetas, quando juridice
loquuntur: A Poetis plurima
Jurisconsultos mutuasse evidens
est.*
- 9 *Advocati Poetæ maiori honore
digni sunt: Omne tulit punctum,
qui miscet utile dulci: Author
Regalibus præmiis ter fuit con-
decoratus.*
- 10 *Ponitur elegans Epigramma D.
Dominici de Saà, e Sylva.*
- 11 *Poesis est jucundissima, & quæ
mala plurima levantur : Vide
carmina Ovidii.*
- 12 *Iterum laudatur D. Domini-
cus de Saà, e Sylva.*
- 13 *Magna gloria ex Poesi resul-
tat:*

tat! *Carmina sequentia pulchrum* habent sensum, & notabilem.

14 *Advocatus timoratæ conscientiæ, vel quia bonus, & injustum defendere recusans, nihil acquirit;* teste *Hippolito.* Qui per ambages indecenter discurrit, & lites protrahit, comparat multa bona; quæ tu non velis.

15 *Plurimi homines, & viri docti, paupertate infensa laboravere.*
Nota.

16 *Duo Authoris ponuntur Epigrammata non injucunda quidem.*

C A P U T LII.

Utrum conveniens sit Advocatum esse Poetam? Et an possit allegare Poetarum dicta, & sententias?

1 **S**UPRA diximus Cap. I. Silium Italicum Poetam egregium fuisse Advocatum; neque solum iste, sed plures alii vatum clarissimi nostro munere functi sunt; quapropter interrogari potest per modum curiositatis, non questionis præcise, an expedit nobis hac arte esse versati? Ad eum modum, quo Philosophi petunt, sit ne Logica necessaria ad alias scientias comparandas?

2 Pro parte negativa hæc possunt urgeri fundamenta: scientia juris maxime, immo totaliter versatur in veritate aperienda: sed Poetæ ut plurimum mentiuntur, & vana loquuntur: ergo lectio ipsorum non convenit veritatem dicentibus apud Judices. Secundo sic: lectio Poetarum tempus terit, & carminis, ac eloquentiæ dulcedo certe avertit homines gustantes ab occupationibus feriis, & utilibus, qualis est nostra jurisprudentia: ergo fugienda. Tertio sic. Nosci-

mus famulos Advocatos ab Apolline alienos: ergo non est necessaria ars Poesis.

Contrarium tamen libenter amplector ex ipsa Jurisprudentiæ definitione, quæ eit etiam humana-rum rerum notitia; carmen autem ad humanas artes spectat; & in Poetis non solum multa jucunda, sed utilia celebrantur: in illis videmus, ac legimus senten-tias altas, & profundas, ac ad mores bonos conduceentes. Quid enim melius, & honestius dicto illo memorati Sili?

*Quippe nec ira Deum tantum,
nec tela, nec hostes,
Quantum sola nox animis il-lapsa voluntas!*

Quid serius dixit Virgilius de fra-gilitate vitæ

*Stat sua cuique dies, breve, &
irreparabile tempus*

Omnibus est vita, sed famam ex-tendere factis

Hoc virtutis opus.

Alibi de muliere: *varium, &
mirabile semper Fæmina.* Quis illo melius laudavit pietatem erga pa-rentes, amorem erga filios, Du-ctorum facinora? Horatius etiam passim tales habet sententias, & tam profundas, ut debeat esse summa cum veneratione legendus; quot enim fere verba, tot præcepta, & consilia.

Utiliter etiam scripsit Ovidius, præcipue Trist. libr; ubi saeuli vanas amicitias aperit, & fortunæ inconstantiam, magnum futuris documentum. Quid Claudio-num faceam vere venustum? Quid Lu-canum Hispanorum gloriam? Quid Martialem lepidi sermonis, multi-que salis? Quid aliud Anglicum? Quid Lusitanorum gloriam Mace-dum

*Hac cecinit Macedo cyoni moriens
tis ad instar.*

Æternum tamen ille suo cum car-Ee ii mine

mine felix vivet, & ingenti nomine notus erit.

4 Accedit, quod multi divino carmine usi sunt, ut est illud Poema vere aureum, cui titulus *Pia Desideria*. Alii Sanctos laudarunt, ut qui scripsit *Alexiados*: & Justos Heroas, ut qui cecinit *Pacicidos*; inter quos Sanazarius de partu *Virginis*, & venerabilis Ancheta, qui sanctæ, ac intemeratae Virginis vitam descripsit; omnes isti pii Poetæ, pluresque alii; qui gravibus florent sententiis; maturisque fructibus; quos etiam habet illud rusticum prædium, quod nuper edidit in lucem societas copiosa viris, ac vatibus maxima: Quibus adde R. P. Josephum Barbosa Clericum Regularem, Divinæ Providentiae satis notum suo Archiathenæo Lusitano; ne solum famosus Orator, & Hiltoricus celeberrimus foret; sed etiam vates.

5 Sed quis, anser, rapit furor? Certum est vates legisse multos. Vates perlegit Doctor Maximus, & illos saepe saepius allegat meus Divus Hieronymus, latinæ eloquentiæ Thesaurus, & qui vere miscuit utile dulci. Augustinum etiam sanctum Doctorem ingeniorum Aquilam hac lectione, & fabularum peritia esse versatum, humanisque litteris quis non novit? Quid præterea Divum Nazianzenum? Si ergo isti de divinis tractantes, saepe, Poetarum dictis usi sunt, ac carminis vena, quid nos? Nec dicere recuso hoc illis fuisse utilitati, humanistis enim ducentibus, etiam aliqua loca obscura divinæ scripture sunt interpretati, ut *Divus Cyrilus ad illum locum Isaiae ante valde obscurum, cap. 18. ibi.*

V& terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopie, qui mittit in mare legatos, & in vasiss papyri super aquas.

Ille autem sanctus Doctor humanis literis plenus hic explicavit fabulam Veneris, & Adonis, qua textus ad literam intelligitur; & de illa fabula diffuse prius tractavit. Sic etiam, vate explicante, intelligitur illud Ezech. c. 8 v. 14. ubi inveniuntur fæminæ plorantes Veneris infelicitatem ob mortem dilecti Adonis, & ibi Corn. Alap. sensu mystico de Christo Comito in sepulchro exponit, quem tristes ploravere Mariæ.

Julianus olim prohibuit Christianos a suorum vatum lectione, & interrogatus, cur id faceret, fecit enim publico decreto, respondit, hoc esse, ne Christiani Deos suos contemnerent, ut tradit. S. Theod. I. 3. Hist. eccles. c. 8. Et jure merito Julianus ille hoc verebatur; ridiculæ enim sunt legentibus illæ Deorum discordæ, & opiniones, luxuria, & avaritia; & his omnibus sunt libri Poetarum pleni; ut constat ex illo Virgili lib. 10. in princ. ibi.

Cælicole magni, quia nam sententia vobis

Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?

Venus etiam fuit vulnerata ab homine Diomede, ut infra defetur.

*Ætolis surgit ab Arpis Tydides, eodem, credo, mea vulnera restant,
Et tua progenies mortalia demoror arma?*

Et quid clarius illo ejusdem Virgilii eodem libro, loquente Junone, contra Venerem sic?

*Me Duce Dardanius spartam expugnavit adulter,
Aut ego rela dedi; foviique cupidine bella?*

Quid numerem Deorum formas, & Jovem insanum, Vulcanumque utroque igne potentem? *Æneid lib. 8. v. 385. ibi.*

Di-

Dixerat, & niveis hinc, atque
hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet,
ille repente
Accepit solitam flamمام, no-
tusque medullas
Intravit calor, & labefacta per
osfa cucurrit.

O scortum vile! Hæc sunt Deæ!

9 Ergo ad hoc solum, & ad alia plura conveniens est legere Poetas, possumusque eos allegare, quando utiliter loquuntur, & juridice, moraliterque; immo potius magnam habent autoritatem: cap. quemadmod. 25. verb. nam si post contract. de jur. jur. l. 1. §. sed an sine nummis ff. de contrah. empt princip. Insit. de empt; & vendit. Barbos. in loc. commun. jur. lit. P. n. 96. & Jurisconsultos a Poetis, & gentilibus Philosophis plurima mutuasse traditum, & exemplificatum est signanter a Panciro. in suo vere thesauro, lib. 1. cap. 80.

Fateor advocatos doctos ab Apolline alienos, sed si isti a Musis amarentur, doctissimos appellarem, & aureos, sicut appello Dominicum de Saa, e Silva, poetam egregium, & Advocatum curialem, cuius orationes sunt plenæ elegantiis.

Q. 343
Omne tulit punctum qui miscuit
utile dulci
Lectorem delectando, pariter-
que monendo.

Sic videmus passim Jurisconsultos egregios, quorum opera his micant venustatibus, & etiam ego sic sum miratus multorum. Senatorum suffragia; quod si non est extra chorū, & si sit parca manu secundum occasionem, mihi plurimum arridet. Fateor me aliquando hoc fuisse mediocriter ver-
fatum, sed qui prior oratione li-
gata, & soluta in Collegio D. An-
tonii magni, Judicibus RR. Patri-
bus Societatis Jesu, duo Regis in-

victissimi præmia merui, & etiam Columbriæ; ast nunc aliis sum.

Carmina secessum scribentis, &
otia querunt.

Me mare, me venti, me ferat ja-
ctat hyems.

Nec sum qualis eram quondam,
cum præmia Regum

Grande fuit nobis ter meruisse
decus.

Ponam hic tamen bonum epi- 10
gramma Dominici de Sa, e Silva
Magistri mei disertissimi in meum
honorem, & amoris signum, quod
diu conditum servo, animoque
fixum.

Musarum deliciis, Poetarum bujus
ævi Coryphæo, amicorum clarissimo D. Hieronymo Sylvio de Araujo sifit ex animo in gratitudinis tesseram hoc inelegans Epi-gramma obsequentissimus discipulus Dominicus Sada Sylvius.

Dum quandam illius elegiam in
ipsius laudem ad stuporem conscriptam demiratur.

Immeritum dum me landas, te
laudibus effers:

Gloria magna mea est; sed tua
major adeſt.

Sol radians laus est, nox ignoran-
tia: multum

Noctis ego; quis tu? Plurima
solis habes.

Urque fugit nox sole, meæ sic men-
tis opaca

Ingenii radiis disperit umbra
tui.

Attamen haud sinerem laudari in-
glorijs, ipsi
si tibi non eadem laus referenda
foret.

Lauda ergo, atq; iterum lauda
quemcumq; placebit,

Quando tuum eximium est laus
aliena decus.

Pro coronide ergo dicendum est 11
Advocatum Poetam esse maiori
dignum honore, Poesis enim est
jucundissima, & qua etiam nostra
incom-

incommoda, & mala levare possint, jugum etenim nostri muneris grave est.

Hoc est cur cantet vincitus quoque compede fossor,

Indocili numero cum grave molit opus.

Cantat, & innitens limosae pronus arena,

Adverso tardam qui trahit amne ratem.

Quique refert pariter lento ad pectora remos

In numerum pulsa brachia versat aqua.

Fessus ut incubuit, baculo, saxoque resedit.

Pastor arundineo carmine mulcet oves.

Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis

Fallitur ancilæ, decipiturque labor.

Fertur, & abducta Briseile trifitis Achilles,

Hæmonia curas attenuasse lyra.

Cum traheret Sylvas Orpheus, & dura canendo

Saxa, bis amissa conjugé, mæstus erat.

Me quoque Musa levat.

12 Dominicus de Sa Sylva adeo est proclivis ad Poesim, ut sœpe Ixpius Musa rapidus feratur alter Archipoeta. Doleo sane virum gravissimum, ac hujus ætatis miraculum stupendum scribere non velle, neque, quod magis est, & graviter ferendum, de jure poterat enim posteris providere suis talentis;

Quantumque tamen præconia nostra valebunt,

Carminibus vivet tempus in omnibus meis.

13 Vereor tamen, quod aliquis Zoius dicat me hoc caput contexisse ad persuadendum me esse Poetam. Dicat tamen, libenter enim, si velit, fatebor; magna quoniam

de hoc mihi gloria est: immo carminibus multoties munera merui, quibus vehementer latatus fui viventi date decus, quod rari post cineres habent Poetæ. Interim lego Martiat. lib. 2. epigram. 38.

Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam,

Sexte, quid aut speras, aut petis inde, refer?

Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,

Atque erit in triplici permixti nemo foro.

Egit Atestinus causas, & Cainus: utrumque

Noras: sed neutri pensio tota fuit.

Si nihil hinc veniat, pangantur carmina nobis:

Audieris, dices esse Maronis opus.

Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis

Sunt ibi; Nasones, Virgiliosque vides.

Atria magna colam: vix tres, aut quatuor ista

Res aluit: pallet cætera turba fame.

Quid faciam, suade: nam certum est vivere Roma,

Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

Hæc est veritas, quam nemo negabit; summeque, semper a me notanda, & prædicanda. Bonus Jurisconsultus, & timoratæ conscientiæ Advocatus aliquando nihil acquirit, & hoc plurimi non mediocris doctrinæ viri experuntur, ut jam olim expertus ipse Hypolitus, & de hoc valde conquerens est in calce repet. rubric. de fidejussor; ubi ait, cerdones, tonfores, & alios ex labore, & artificio vitam ducere, juris autem professores plerumque fame perire; & subjungit hæc verba: vere patienter hæc, & maiora tolerabimus,

rabimus, si ante occultos sententiam illam D. Hieronymi habuerimus, quæ dicit, quod facile contemnit omnia, qui cogitat se moritum. Egidius hæc refert in suo directorio cap. 14. & bene probat: scias autem huic calamitati proprie esse obnoxium illum Advocatum, qui se non ingerit calumniosis, in justisque litibus. Qui autem scit protrahere, & per mille ambages discurrere, omneque defendere punctum, ingentes sibi comparat thesauros hereditibus malus relicturus. Fuge tu ab his pauperrimis divitiis, cum anima tua sic detrimentum patiatur.

15 Audivi ego quemdam clericum Advocatum dicentem illos, qui fulgent doctrina juris, semper acquirere sufficienter, immo abundanter, quasi sic rejiciens me, aliosque pauperes Advocatos, & fortasse in hoc sequens sententiam cuiusdam Reverendissimi Monachi, qui nuper disertum sane edidit theatrum, notissimus Feijoo vir apprime doctus, & Benedictini Ordinis grande decus. Veritas tamen est in contrarium; & hæc negativa est libera in isto, forsitan quia suo honore, & abundantia contentus, naturam omnibus providam vel ideo judicavit: Nos autem qui Historiarum saltē mediocrem habemus scientiam, viros famosos in omni materia notavimus, qui paupertate infensa laboravere. Hodie est res indubitabilis; scientia siquidem sine pecunia veluti in Eremo est. Quis pauperem eligat? Vultis pauperem Academiæ? Vultis pauperem Collegia? Vultis pauperem, Senatus? Siste gradum, siste calamum, precor, precor.

16 Hoc capite non possum relinquare intactum, licet ad Advocatos non spectet (neque enim ego ullo ex capite cogor semper materiae adstringi, volo enim etiam

deviare) me composuisse certum epigramma in quoddam certamine literario, ubi nec legi meruit; quanto magis præmium habere, aut calamum aureum? Credo tamen, bone lector, quod si illum legas attente, forsan aliis secundum non putes. Materia erat demonstrare Christi amorem in Sacra Eucharistia, & discurrere de primo verbo *hoc* in consecratione demonstrativo. Illud ponam, licet enim meum, dignum est.

Hic, hæc, hoc, sanguis, caro, corpus amantis Jesu

Demonstrant quanto peccus amore calet.

Indicum febris est quæ funditur unda cruoris:

Quæ vero Jesu febris adussit?

Amor.

Est certe caro facta cibus: verum illa parari

Debuit igne aliquo: Quis tamen ignis?

Amor.

Quid corpus minimum in spatiū, punctumque redigit?

In puerum Numen qui breviavit

Amor.

Certe hoc epigramma dono aliquo dignum erat; & ad minus legi poterat. Tace, tace. Pauper es Sylva, ideo nunquam Jurista, aut Poeta eris. Aliud tamen, cuius argumentum ex ipso constat, munera mihi dedit.

Dum propriam cupid Otio sibi confiscere mortem,

Et vitæ impatiens dum sibi teta parat.

Sævit, & indigno quo laderet impete frontem,

Confudit digitis lumina clara suis.

Ipse tenebrofas stygii properabat in undas:

Vivat ut in tenebris, non opus est oculis.

Si forte, Lector hujus capit's, tibi placeant; plurima opera edam;

hæc

hæc pro nunc sufficient, cum simus in jure, a quo alienam non judico artem Poesis.

SUMMARIUM CAP. LIII.

An. i. usque ad ii. probatur utilitas, quæ redundat ex Historiarum lectione; quod quidem quamplurimis firmatur exemplis: Et quod Historiæ possint allegari; & quod plenam quandoque faciant fidem, manifeste concluditur: quæ solum pro summario sufficiant; uteriori etenim declaratione non egent.

CAPUT LIII.

Utrum Advocatus debeat esse Historicus? ubi de Historiarum utilitate, & libris agitur; atque eorum in jure fide. Quas tandem noster Advocatus possit allegare; & an probent? Declaratur.

IO Dulcis, & jucunda Historia! O suavis lectio, quæque animos non fatigas, sed immo potius gratum soles es: levamen! Huc etiam me mea rapit mens, non tamen invitum, sed bene volentem. O custos facinorum, gestarumque rerum fidissima! O grande ad virtutem incitamentum! Quid, si non esset Historia? Ubi Regum gloria, Ducum fama, Heroum virtus, militum spendor, Lusitanorum præstantia? Naturalis cupiditas est hominibus vivere post mortem, & posteritatis memoria existere. Ipsa cognitio, quam habent, eo quod subjecti vivant Libitinæ legibus, incitat ad hoc, nempe per actiones bello, Togaque insignes immortalitatem consequi; cum sine Historiæ beneficio non possint. Alexander ille totius Orbis terror vel ideo æternitati

pugnabat: super æternitatis humeros Monarchiarum suarum fundamenta collocare voluerunt Lao-medon, & Romulus. Hac Cæsar memoria, gladio pugnabat, calamoque scribebat. Ita Tullius loquebatur, atque orabat Demosthenes. Sic æternitati pingebat Apelles; unde eloquentiæ Romanæ Princeps ita dixit: *Nescio quomodo inhæret in mentibus omnium quasi sæculorum quoddam augurium futurorum.* Et Cato: *optimi cuiuscumque animus maxime ad immortalitatem gloriae nititur.* Et dicitur *Sap. 4. Immortalis est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.*

Si Advocatus ignoret Historias, quomodo potest perfecte intelligere Jus utrumque? Ubi origo nominum Præpositorum, Acolytorum, Primeceriorum, Archidiacconorum? Unde capiat feudorum Historiam, quam a Romulo Zazius derivat *in l. 2. in verbo Curiæ ff. de orig. jur?* Ubi hasta, & ejus usus?

Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum.

Ubi origo locationis in quinque-nium? Quo mense prædia locari consueverint? Quomodo oīm Rei in custodia detinerentur, aut torquerentur? Quis sine historia sciat legitimam, & ejus originem? Quis de Specularibus dicat? De Agonothesia, & designatoribus? De Iudis permisis, & quando in pecuniam ludere liceret? De domibus, & Insulis. De Basilica. De Horreis. De balneis, & Nymphæis. De porticibus, de Campo Martio: de mensuris: De aureorum, argenteorum, æreorumque nummorum ponderibus. De numeris; de caligato milite, & principiis. De aliquibus a posteriori ætate in jure verbis, & vocabulis receptis. De Archimandritis, de Diaconissis. De anathæ-

anathemate, de purgationis canonice origine. De Comitibus Palatinis, & Paribus Galliarum. De origine osculi. In nostra nobilissima Lusitania, de Origine Legis mentalis. Dicat aliquis hoc sine Historiarum notitia, & erit mihi magnus Apollo!

- 4 Recurritur ad Historiam, ut sensus multarum Legum a nobis Jurisconsultis cognoscatur. Ita explicatur L. 1. ff. de cens. & l. pecun. 178. de verborum significat. L. cum bissexus 98. cod. tit. Quis sine Historia duce intelligat a fundamentis L. Arriani cod. de hæret? Unde Ariani trahant originem? Unde Macedoniani; Apollinariani, Novatiani, Sebastiani, Eunomiani, Tessareicæ, Valentianii, Pauliani, Papianistæ, Montanistæ, Priscillianistæ, Phriges, Pepusitæ, Marcionistæ, Borboritæ, Messaliani, Euchetæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparaſtatæ, Trascodrogytæ, Hermogeniani; Batrachitæ, & alii? Quos quia turpissimos nominare veluti pudet. Quis intelligat a cardine §. ultim. Inst. de adoption?
- Legendi ergo sunt a nobis Historici, legendus *Suetonius*, & legendus *Tacitus*; in unoquoque etenim invenitur quidquid ad Reipublicæ statum, & mores pertinet.

- 5 Nec aliquis insurgat contra me, & dicat hæc esse superflua: concedam enim libenter, quod sine istis aliquando poteris advocare, sed semper te posse negabo. Immo in his notitiis consistit maxima Juristarum perfectio, & præcipue ad jus canonicum cognoscendum nemo negabit esse Historiam præcisam, & fidam ubique comitem. Accedit; quia plerumque excitantur lites, quæ resolvi non possunt, quin queramus Historias, origines Ducum, & Marchionum, ac aliorum Heroum nobilissimum; & ex vi istius notitiae confer-

vantur maioratus, reivindicantur bona, conservantur privilegia, explicantur contractus; quidquid crassi aliqui dicant, & literarum exosores, quia nostram resolutionem dire execrantur in his, & similibus.

Accedit ulterius; quia ad cognoscendas plerumque probalitates opinionum, necessarium est habere notitiam Historiæ. Probo hoc; quia vg. Author aliquis, qui occupavit maiora munera in Republica, ac insignibus civitatibus, curiisque famosis, aut legit de jure, certe habet maiorem autoritatem, quam aliquis anser strepens; veluti ego, qui nulla penitus fruor: ergo hoc sciendum est; & plerumque non constat ex fronte libelli. Antecedens est certum; de quo suo loco; & capite dicitur. Et dicant mihi, ad quid citavit Peg. Illustrissimum Hieronymum Oforium de rebus gestis Emmanuelis, quando defendebat Comitem de Figueiró? Millies a Juristis citantur Historici.

Sufficit interea resolvere, quod Historiis integra est adhibenda fides: pulchre *Fontanel. de paet. nupt. tom. 1. p. 2. claus. 4. glos. 10. n. 29.* ubi facit mentionem de frag. mentis, & capitulis librorum Historiæ Regni Aragonum per diligentissimum, ac fidelissimum Hieronymum Zurita: probat hec manifeste *Pont. in cap. cum causam de probat. Menoch. conf. 1. n. 125. in 1. vol. Masiard. de probat. c. 287.* Ideo Historias exemplum, fidemque facere tradiderunt Bartol. & Alex. in l. 1. ff. si certum petatur, & per tit. a nobis memoratum c. cum causam de probat. L. 1. ff. offic. Profect. prætor. L. 1. ff. de offic. Quæstor; ubi Junius, & Trebatius, & pulchre Fenestella. glos. in clem. 1. in verbo urbano de reliquis, & venerat. sanctor. clem. 1. Ff in

in verbo Bononia de magistrat. & in c. quamvis 21. dist. Dec. conf. 135. Abbas in. c. 2. n. 11. de feua; & in c. cum caus. n. 1. de probat. Cæpol. in auth. sed novo jure n. 22. cod. de Serv. fugit. Paris conf. 1. n. 50 vol 1. Plat. in §. penulti. notab. 1. Instit. de testament. Jus. in l. 1. n. 25. ff. si certum petatur, Bellam. decis. 70. ubi latissime; & præ reliquis agit de hac materia: Ludovicus Romanus conf. 224. glos. in verbo trapezitas in c. in nomine Domini 23. dist. DD. in c. iu. t 15. dist. Archia. in proam. 6. l. sep. timo mense ff. de statu bomin.

- 8 Ampliater hec conclusio, licet Author hujusmodi Chronicarum, & Historiarum ex aliorum tententia, & non solum ex sua loquatur: Soc. in. l. 1. ff si certum petat; & ibi Purpurat. n. 156. Felin. in c. cum caus col. 1. n. 1. sub. fin. extra de probat. Quæres: Utrum si Historiae repugnant inter se, quod plerumque contingit, quibus nam fides sit adhibenda? Incertum valde hoc est; de antiquitate enim testes non existunt, nisi ipsa dicta Historiarum. Sed eligenda est Historia magis probata, & pro qua maior est authoritas: l. 1. ff. de offic. Quæst. c. novimus ff. de verbor. significat: unde si etiam pauciores gravioris sint authoritatis, his credendum censeo: Angel. in l. si idem § fin. ff. de jurisdict. omnium Judic. rit. in l. ob carmen § fin. ff. de fest. Alex. conf. 13. in fin. lib. 1. n. 15 si pares sunt, ad fundamenta tunc recurre; argumento §. idem pretium Init. de empt; & vendit: Purpurat; ubi supra n. 157.

- 9 Nos Lusitani habemus sermone latio insignem Historicum, memoratum nempe Hieronymum Osorium, qui verè est Tullius Lusitanus, cuius vestigia sapienti cuiquam licet adorare. Hic eleganter Invictissimi Regis D. D. Emmanue-

lis geita aureo scripsit calamo. Quid te, Barros, memorem solo cognomine per Orbem famosè? Roma fateatur, Venetique cives dicant; quibus semper fuiti magnæ admirationi, semperque te coluerunt, effigiemque charam habuere, illa in Vaticano prope Ptolomeum, iti in Palatio suorum Ducum altissimorum. Quid dicam de Hiacintho Freire de Andrada? Quo D. Joannis de Castro Indiæ Proregis facta illuītria adeo claruere, Lusitanorumque facinora; quibus cedat gloria Romanorum? Non me latet aliquos alienigenas dubitare de a'iquibus, quæ in nostri regni Historiis continentur; videatur enim ipsis incredibile, paucos Lusitanos, & fere inermes aliquando fugare exercitus grandes, defendere arcēs, debellare urbes, destruere classes, ærataisque puppes; regna quassare, Orientique vel toti dominarier. Sed certe falluntur; & soli indocti de hoc dubitant, sapientes enim ex corde fatentur, & forsitan maiori calamo in nostras laudes ferantur; Lusitani enim solum operari intendunt, nec jam de fama curent necesse est; vulgata enim diu per totum Orbem caput eximum inserit astris. Noster Clarissimus Lusitanæ Rex DD. Joannes V. instituit Academiam Regalis Historiæ, qua sedent Sapientissimi viri. Sed Rex noster.

*Non sua facta jubet, mandatque
atiena referri,*

*Tum mage laudandus, cum ma-
ge laude caret.*

Quid tamen sua facta chartis tradere juberet, quæ pectoribus nostris semper inhærent?

Dicendum etiam est a nobis Advocatis amari Historias; quia plerumque notorium inducunt; ut de regno Cæsaris, & aliis Cald. in L. ea quidem col. 4. in fin. cod. de accu-

accusat. Non tamen chronicis tides, quando loquuntur per verba enuntiativa: Et scias maxime probare, quando sunt ex longissimo tempore approbatæ: c. inter ailectos de fide instrument. cum ibi allegatis n. 13. ex l. 1. ff. si certum petatur, ubi Bartolus, & Romanus. Terminantissimus textus de anhoritate Historiarum est in l. 2. in §. eodem tempore ff. de origin. jur. l. questionibus ff. ad l. Julianam Maiestatis, ubi videtur inferri historia dilertissimi Sallustii. De Historiis Eccles. est tit. c. fin. 9. ait inquit. & glos. in c. veterum in verbo Græc. eadem distinct. glos. in §. hæc autem tria, & alia jura de quibus Mascard. ubi supra: tantum ergo abeit quod hæ disciplinæ Juris officiant studiis, ut econtrario permultum ei decoris accumulent, & ornamenti, civilis etenim scientia late patet. & nulla est disciplina, quacum commune aliquid non habeat; quippe quæ de universis in Orbe cognoscit.

11 Gloriosam seriem involvunt Concilia, & gratum est recurrere ad Historiam in omni materia, quæ propter Advocatos nostros Historicos vellem non solum ut homines, viros inquam politicos; quod extra aleam, dubiumque est, sed quatenus Patronos considero, in quibus est necessaria omnis divinarum, humanarumque rerum notitia, justi atque injusti longa scientia. Vivas Tu, Dominice de Sa, & Sylva gratum mihi Nomen; qui hac materia nimis polles; & alii: Quisquis nobilissimus est, currat ad Historias, lege, & perlege

Sacra recognoscet annalibus eruta priscis,

Et quo sit merito queque notata dies.

* Invenies illic, & festa domestica vobis:

Sæpe tibi pater est, sepe iugendus avus.

CAPUT LIV.

Ad verbum. Advocatus

SUMMARIUM

ex Legibus Regni Lusitani.

- 1 **A**dvocatus debet studuisse octo annis in Universitate: Ord. lib. 1. tit. 48.
- 2 **A**dvocatus ut advocet in Domo Supplicationis, debet prius praecedit oppositio ipsius, & dari lectio in punto juris civilis: idem §. 1.
- 3 **A**dvocatus in Domo Supplicationis, qui non tendit ad audiencias, atque in illis assistit pro clientibus, aut est negligens, retardatque processus, de illo inquiritur: Ord. lib. 1. tit. 1. § 32.
- 4 Ut quis advocet in Domo Portugallensi, Senatuque, sufficit esse graduatus: ibidem §. 3.
- 5 Ut postulet audiendi tratores, sufficientiunt illi octo anni cum examine, & gradu: ibidem §. 3 & 4.
- 6 Qui sine tempore affirmato & praedicato examine postulat, condemnatur pena viginti argenteorum.
- 7 Si non postulet in audiencias, in favorem illius non debent acceptari mandata, quibus a partibus constituitur procurator: Ord. lib. 3. tit. 13. §. 2.
- 8 **A**dvocatus debet habere leges Regni; & contra illarum dispositionem non potest orare: ord. lib. 1. tit. 48. §. 6.
- 9 Qui prius per venit in audiencias, prius loquitur, quamvis postea accedant, & sint presentes antiquiores. Ord. lib. 3. tit. 19. §. 1.
- 10 **A**dvocatus debet habere partium informationes: lib. 1. tit. 48. §. 15.
- 11 **A**dvocatus, qui contra leges

patrias postular, incurrit pænas,
quibus subjet Fudex, qui ju-
dicat, fertque sententiam con-
tra jus expressum: ibidem §. 7.

12 Advocatus non valet processum
deserere: ibidem §. 8.

13 Advocatus non potest cum par-
tibus pacisci de quota, & solo Sa-
lario debet esse contentus: ibi-
dem §. 11.

14 Si Advocatus culpa sua damnum
dedit parti, isti satisfacere debet:
ibidem §. 10. & 17.

15 Advocatus in Domo Judicis non
potest loqui circa processum Clen-
tis, & istius causam; dum pen-
det lis: ibidem §. 12.

16 Advocatus dat duo mille regalia
ad expensas Senatus si faciat pe-
titionem graveminis contra jus:
lib. 1. tit. 48. §. 7.

17 Qui colludit, mittitur in exi-
lium, atque in Brasiliam a qua
recedere non potest, neque officio
uti: ibidem §. 13.

18 Sub pæna exili non potest delere
in libello quid, aut in allegatio-
nibus: ibidem §. 14.

19 Decem condemnatur argentes,
si non demonstrat partis infor-
mationem: ibidem §. 18.

20 Minor viginti quinque annis po-
test esse Advocatus, si sit jam in-
fusa ornatus: ibidem §. 20.

21 Qui ab uno recepit Salarium,
jum pro alio adverso postula e non
potest: ibidem §. 27.

22 Advocatus, qui non dat proces-

sum in termino, quatuor mille
regalibus condemnatur ad Sena-
tus expensas: Ord lib. 3. tit. 20.
45. & per istam legem etiam sol-
vit moræ expensas.

23 Advocatus, qui in Domo Sup-
plicationis quatuor annis advo-
cavit, potest promoveri ad nu-
merum Senatorum in Domo Por-
tugallenſi: Ord. lib. 1. tit. 35. §. 2.

24 Advocatus, qui ab uno, & al-
tero inter se contendentibus quid
reciit, ut falsus reputatur:
Ord. lib. 1. tit. 48. §. 1.

25 Advocatus, qui dormit cum
muliere, pro qua postulat, per
spatium unius anni ad Africam
mittitur: Ord lib. 5. tit. 20.

26 Advocatus in margine non po-
test scribere quid minus decorum:
Ord. lib. 1. tit. 48. §. 14.

27 Sed potest scribere ad margi-
nem (vulgo dicimus cottas) sicut
Fudex: ibidem.

28 Advocatus minor esse non potest,
neque fidelis inter partes, vir
generosus, Clericus, aut scriba:
lib. 1. tit. 48. §. 19. & vide in lib.
3. tit. 28.

29 Quisque cupis cætera videre in
materia praesenti, lege in Indice
Juris civilis ad verbum Avo-
catus, Assessor, Causidicus, Pa-
tronus, Oratores, Salarium.

LAUS DEO,

VIRGINIQUE MATRI.

PER-



PERFECTUS ADVOCATUS, PARS SECUNDA.

DECISIONES; ET CONSULTATIONES
aliquæ forenses, quæ Secundum librum, aut li-
bellum faciunt ad usum Advocatorum.

*Accipe præclari, Lector, monumenta Senatus,
Quo nullus toto clarior orbe micat.*

Nec quia pauca dabo, poteris damnare laborem:

Deme meum, liber sat pretiosus erit.

*Ergo; quia egressus Sylvis, tot grata coegi,
Forfitan, & nobis lector amicus eris.*

AD

PERFECTUS ADVAUGA

PARTIE CINQUIÈME